ACTA ET DECRETA

SEXTI CONCILII PROVINCIÆ QUEBECENSIS

IN

QUEBECENSI CIVITATE

ANNO DOMINI MDCCCLXXVIII

CELEBRATI

A SANCTA SEDE REVISA ET RECOGNITA

QUEBECI
APUD P.-G. DELISLE, TYPOGRAPHUM
1 PORT DAUPHIN
1882

MISI

Rever
q

Cu
statu
pro n
versii
jusce
Conci
tuere

ACTA ET DECRETA
SEXTI CONCILII
PROVINCIÆ QUEBECENSIS
ANNO MDCCCLXXVIII

CELEBRATI

PRÆSIDE ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

ELZEARO-ALEXANDRO TASCHEREAU

ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI

EDICTUM

CONVOCATIONIS CONCILII PROVINCIALIS VI QUEBECENSIS.

ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA, ARCHIEPISCOPUS QUEBECENSIS, PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS.

Reverendissimis Fratribus Nostris Episcopis, necnon Capitulis, aliisque provinciæ Quebecensis Ecclesiasticis Viris, qui, de jure vel consuetudine, Concilio Provinciali interesse debent, Salutem in Domino.

Cum Sacrosancta et Œcumenica Synodus Tridentina statuerit ut provincialia concilia quolibet saltem triennio pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, convocentur a Metropolitanis, hujusce provinciæ Quebecensis Patres, in ultima sessione Concilii provincialis V, anno 1873, non omiserunt statuere proximum concilium habendum fore anno 1876.

Sed propter diversas causas indultum Nobis fuit a Sancta Sede, die 26 septembris 1875, ut provincialem Synodum non cogeremus nisi anno 1878.

Nos officio Nostro, quantum in Nobis est, satisfacere volentes, expetita prius Revmorum Fratrum Nostrorum Episcoporum sententia, re mature perpensa, ac Sacro Nomine Domini invocato, ad majorem Dei Omnipotentis gloriam et Provinciæ Nostræ utilitatem, provincialem synodum, in Basilica Metropolitana Quebecensi celebrandam, indicere et convocare decrevimus, illamque in dicta ecclesia, dominica quarta post Pascha, quæ incidit in diem decimam nonam maii præsentis anni MDCCC-LXXVIII, incipiendam ac postea usque in finem prosequendam, per præsentes litteras indicimus atque convocamus.

Quapropter Reverendissimos in Christo Fratres Trifluvianum, Sancti Germani *de Rimouski*, Marianopolitanum, Sherbrookensem, Ottawiensem atque Sancti Hyacinthi, Episcopos comprovinciales Nostros, capitula et alios quoscumque qui, de jure vel consuetudine, Concilio Provinciali interesse debent, hortamur, ac, in quantum opus est, mandamus ac præcipimus, ut ad prædictam Synodum, assignatis die et loco, conveniant, et personaliter compareant, nisi forte justo detenti fuerint impedimento, quod probare tenentur per procuratores ab ipsis legitime electos, qui eorum vices agant in Synodo.

De hac autem convocatione singuli Revmi Epi supradicti monebunt suarum respective ecclesiarum cathedralium Capitula, aliosque qui huic Synodo interese tenentur de jure vel de consuetudine.

Denique, Venerabiles Fratres, enixe Vos obsecramus ut hanc Synodum in precibus et missis Deo Optimo

Maximo commendetis Patri Omnipotenti *qui operatur in nobis velle et perficere ;* Filioque ejus Domino Nostro Jesu Christo *sine quo nihil possumus facere ;* et Spiritui Sancto *qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei, ut nobiscum sit et nobiscum laboret,* ut mentes illuminet, corda succendat ; utque nostra actio et operatio, bene incepta, bene et feliciter ad exitum perducatur ad majorem Dei gloriam et Provinciæ Nostræ utilitatem.

Datum Quebeci ex ædibus nostris archiepiscopalibus, sub signo sigilloque Nostris, ac Secretarii Nostri chirographo, die Epiphaniæ Domini Nostri Jesu Christi, anno millesimo octingentesimo septuagesimo octavo.

✠ E.-A., ARCHPUS QUEBECEN.

L. ✠ S.

De Mandato Illmi ac Rmi

D. D. Archiepiscopi Quebecensis.

H. TETU, Pter,

Secretarius.

PARS PRIMA.

ACTA

SEXTI CONCILII PROVINCIÆ QUEBECENSIS.

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Sabbato, die decima octava maii, anno Domini millesimo octingentesimo septuagesimo octavo, Episcopi Provinciæ Quebecensis convocati ad celebrandum Concilium Provinciale virtute edicti in festo Epiphaniæ promulgati ab Illmo ac Revmo Elzearo-Alexandro Taschereau, Archiepiscopo Quebecensi, convenerunt in domo dicti Archiepiscopi, hora nona, cum præfato Metropolitano :

Rmus D. D. Epus Trifluvianus, Ludovicus-Franciscus Richer-Laflèche ;

Rmus D. D. Epus Sti Germani *de Rimouski*, Joannes Langevin ;

Rmus D. D. Epus Marianopolitanus, Eduardus-Carolus Fabre ;

Rmus D. D. Epus Sherbrookensis, Antonius Racine ;

Rmus D. D. Epus Ottawiensis, Josephus-Thomas Duhamel ;

Rmus D. D. Epus Sti Hyacinthi, Ludovicus-Zephirinus Moreau.

Jubetur authenticum indictionis decretum asservari in actis mox inchoandi Concilii.

De consensu Rmorum Patrum Illmus Archiepiscopus officiales, quorum sequuntur nomina, ad Concilium adjuvandum eligit et nominat :

1. Promotores :—Revmum Carolum-Felicem Cazeau, Prælatum domesticum Sanctitatis Suæ necnon Vicarium Generalem Illmi ac Revmi D. D. Archiepiscopi, et admodum Revdum Carolum-Olivarium Caron, Vicarium Generalem Revmi D. D. Episcopi Trifluviani ;

2. Secretarios :—Revmum Edmundum Langevin, Præpositum Rmi Capituli Sti Germani *de Rimouski* necnon Vicarium Generalem Rmi D. D. Episcopi ejusdem diœcesis, et Reverendum Carolum-Illidium Collet, Secretarium Archidiœceseos ;

3. Cæremoniarum Magistros :—Revdos Cyrillum-Stephanum Legaré, majoris Seminarii Quebecensis Directorem, et Cyrillum-Alfredum Marois, sub-secretarium Archidiœceseos ;

4. Cantores :—Revdos Franciscum-Xaverium Plamondon, rectorem ecclesiæ succursalis Sti Joannis Baptistæ *de Quebec* et Georgium-Raphaelem Fraser, unum e professoribus Seminarii Quebecensis.

Exhibentur instrumenta delegationis Rmorum Capitulorum Cathedralium Ecclesiarum Marianopolitanæ, Sti Hyacinthi et Sti Germani.

Admittunt Patres quoque tanquam theologos et canonistas :

1. Illmi ac Rmi D. D. Archiepiscopi :—admodum Revdos Thomam-Stephanum Hamel, Vicarium Generalem, Superiorem Seminarii Quebecensis et Rectorem Universitatis Lavallensis, et Dominicum Racine, Vicarium Generalem et Parochum Sti Francisci-Xaverii vulgo *Chicoutimi*, et Revdos Josephum-David Déziel,

Parochum Nostræ Dominæ *de Lévis*, et Aloysium-Honoratum Pâquet, Sacræ Theologiæ Doctorem et Professorem facultatis Theologiæ in Universitate Lavallensi;

2. Rmi D. D. Trifluviani Episcopi:—admodum Revdos Vicarios Generales Carolum-Olivarium Caron, Superiorem Seminarii Trifluviani, et Thomam Caron, Professorem theologiæ in Seminario Nicoletensi;

3. Rmi D. D. Sti Germani *de Rimouski* Episcopi:—Revdos Desideratum-Canonicum Vezina, Archipresbyterum ac Parochum Nostræ Dominæ ad Nives vulgo *les Trois-Pistoles*, et Petrum Saucier, Vicarium foraneum, Parochum Nostræ Dominæ vulgo *la Grande-Rivière*, et Canonicum ad honores;

4. Rmi D. D. Marianopolitani Episcopi:—Revdos Petrum-Eucherium Canonicum Lussier, Cancellarium Marianopolitanæ diœceseos, et Patrem Victorem Beaudevin, Societatis Jesu;

5. Rmi D. D. Sherbrookensis Episcopi:—Revdos Michaëlem-Eduardum Méthot, Sacræ Theologiæ Professorem in Universitate Lavallensi, et Andream-Albertum Blais, juris canonici Doctorem et in eadem Universitate professorem;

6. Rmi D. D. Ottawiensis Episcopi:—Revdos Josephum Michel, Sancti Gregorii Nazianzeni vulgo *Buckingham* Parochum, et Patrem Josephum-Julium Fillâtre, Oblatum Mariæ Immaculatæ, Professorem philosophiæ in Universitate Ottawiensi;

7. Rmi D. D. Sti Hyacinthi Episcopi:—Revdos Antonium O'Donnell, Canonicum cathedralis ecclesiæ et Parochum Sti Dyonisii, et Remigium-Joannem Ouellette, Canonicum Cathedralis et Professorem philosophiæ in Seminario Sti Hyacinthi.

Tandem invitantur ad Concilium tanquam deputati :

1. Universitatis Lavallensis, Superior Seminarii Metropolitani et Rector supradictæ Universitatis Lavallensis, admodum Revdus Thomas-Stephanus Hamel ;

2. Seminarii Sti Sulpitii Marianopolitani, admodum Revdus Joannes-Baptista-Benedictus Larue, presbyter Congregationis Sti Sulpitii ;

3. Societatis Jesu, admodum Revdus Pater Ludovicus-Cæsarius Saché, Superior domus ejusdem Societatis in civitate Quebecensi ;

4. Oblatorum Mariæ Immaculatæ, admodum Revdus Pater Josephus-Eugenius Antoine, Provincialis ejusdem Congregationis.

Omnes procedent et sedebunt ordine statuto in quinto Concilio.

Proponuntur et admittuntur decreta legenda in prima sessione : 1. De aperienda Synodo ; 2. De modo vivendi in Concilio, ut in quinto ; 3. De professione fidei.

Sequentes deinde ordinantur Congregationes :

Prima de Decretis.

Præside Rmo D. D. Episcopo Sherbrookensi :

Revdi D. D. Michael-Eduardus Méthot, Pater Joseph-Eugenius Antoine, Joseph Michel, Remigius-Joannes Ouellette, Petrus-Eucherius Lussier et Carolus-Illidius Collet.

Secunda de Doctrina.

Præside Rmo D. D. Episcopo Trifluviano :

Rmus Joseph-Sabinus Raymond, Revdi Joannes-Baptista-Benedictus Larue, Antonius O'Donnell, Aloysius-Honoratus Pâquet, Desideratus Vézina et Pater Victor Beaudevin.

Tertia de Liturgia.

Præside Rmo D. D. Episcopo Marianopolitano:

Admodum Revdus Thomas Caron, Revdi Petrus Saucier, Cyrillus-Stephanus Legaré, Georgius-Raphael Fraser et Cyrillus-Alfredus Marois.

Quarta de Disciplina.

Præside Rmo D. D. Episcopo Ottawiensi:

Rmi Edmundus Langevin et Carolus-Felix Cazeau, admodum Revdus Pater Ludovicus-Cæsarius Saché, Revdi Joseph-David Déziel, Franciscus-Xaverius Plamondon et Andreas-Albertus Blais.

Quinta de Studiis.

Præside Rmo D. D. Episcopo Sti Germani *de Rimouski :*

Rmus Godefridus Lamarche, admodum Revdi Thomas-Stephanus Hamel, Carolus-Olivarius Caron et Dominicus Racine, et Revdus Pater Joseph-Julius Fillâtre.

Sibi reservant Patres facultatem, ad majorem quæstionum expeditionem, cuilibet Congregationi schemata seu materiam non regulariter illi pertinentia proponendi.

Dictis Congregationibus injungitur ut relationem scriptam faciant: 1° de titulo; 2° de opportunitate; 3° de textu uniuscujusque schematis quod ipsis examinandum proponitur; 4° de iis quæ de materia subjecta jam in præcedentibus hujusce provinciæ Conciliis statuta sunt. Hæc autem relatio a secretario Congregationis subsignata, statim ac completa fuerit, remittatur uni ex promotoribus.

Respectivis Congregationibus referuntur sequentia schemata:

Ad Congregationem *de Disciplina :* 1° De residentia ; 2° De litteris excardinationis ; 3° De foro ecclesiastico ; 4° De officialitatibus ; 5° De causis matrimonialibus. Curet Congregatio ut tertium, quartum et quintum ad unum redigantur, si ita opportunum videatur ; 6° De matrimonió. Simul Congregatio conferat articulos Synodi Aesin, ut in schemate introducantur, si utiles appareant ; 7° De variis disciplinæ capitibus. Super his videat Congregatio an quidam hujus schematis articuli ad alios revocandi sint, seu potius dividendi in distinctis capitibus, imposito speciali titulo cuivis eorum.

Ad Congregationem de *Studiis :* 1° De studiis ecclesiasticis ; 2° De juvenibus ad statum ecclesiasticum vel religiosum vocatis ; 3° De cantu et musica. Cum tertio schemate remittatur Congregationi additio proposita ab Episcopo Sti Germani ; 4° De domestica puerorum educatione ; 5° De puellarum in religiosis domibus educatione ; 6° De surdo-mutis ; 7° De libris perniciosis.

Ad Congregationem *de Decretis :* 1° De juribus Ecclesiæ ; 2° De clericis negotiis sæcularibus sese immiscentibus. Tria schemata super hoc subjecto una examinentur ; 3° De exercitiis spiritualibus in parochiis ; 4° De charitate erga proximum et litibus ; 5° Contra injustitias in cessione bonorum ; 6° De homicidio ; 7° Congregatio rationem habeat additionis ab Episcopo Sti Germani submissæ de professione fidei, et ex illa conficiat distinctum decretum, altero titulo imposito ; 8° Conficiat et aliud decretum quo prohibeantur cœtus politici intra fines fundi ecclesiarum.

Ad Congregationem *de Doctrina :* 1° De vita et honestate clericorum. Videat Congregatio an in hoc schemate introduci possit ultimus paragraphus schematis *de*

causis matrimonialibus et schema *de coma et barba ;* 2° De obedientia Pastorum ; 3° De origine et fine hominis ; 4° De fidei periculis. Attendat simul Congregatio ad propositum ab Episcopo Sti Germani additamentum ; 5° De jejunio et abstinentia ; 6° De usura ; 7° De choreis. Animadvertat Congregatio paragraphum de eisdem contineri in schemate *de pœnitentia.*

Ad Congregationem *de Liturgia :* 1° De liturgia et rebus sacris ; 2° De sacramentis ;—De sacramentis et sacerdotali ministerio ; 3° De Baptismo ; 4° De Confirmatione ; 5° De Pœnitentia ; 6° De Eucharistia ; 7° De Extrema Unctione ; 8° De Ordine ; 9° De tempore ad missam celebrandam requisito ; 10° De eleemosynis pro missa celebranda oblatis. Attendatur propositæ additioni ab Episcopo Marianopolitano.

Approbatur et subsignatur epistola ad Summum Pontificem mittendam cum actis et decretis Concilii.

Admittitur schema Pastoralium Litterarum, quas collective ad populum dirigent Patres.

Statuitur denique primam Congregationem generalem habendam eadem die, hora secunda cum dimidia et cras primam sessionem.

Quibus absolutis, recedunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

PRIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Sabbato, hora secunda cum dimidia post meridiem, ad habendam primam Congregationem generalem, in aula

majori palatii archiepiscopalis, conveniunt Reverendissimi Episcopi cum deputatis et theologis.

Post preces *Veni, Creator,* et *Adsumus,* a Secretariis leguntur :

1. Instrumenta, quibus Rma Capitula cathedralium Marianopolitanæ, Sti Hyacinthi et Sti Germani *de Rimouski,* deputant Rmos Canonicos Godefridum Lamarche, Theologalem Capituli Marianopolitani, Josephum-Sabinum Raymond, Præpositum Capituli Sti Hyacinthi, et Edmundum Langevin, Præpositum Capituli Sti Germani *de Rimouski ;*

2. Nomina officialium in prima Congregatione privata a Patribus selectorum ;

3. Elenchus theologorum et canonistarum unumquemque Episcopum assistentium, ac deputatorum Lavallensis Universitatis, Seminariique Metropolitani, Seminarii Sti Sulpitii Marianopolitani, Societatis Jesu et Congregationis Oblatorum Mariæ Immaculatæ ;

4. Ordo præcedentiæ in præsenti Synodo servandæ, ut in quinta ;

5. Compositio diversarum Congregationum a Patribus ordinatarum ad respective tractandum de decretis, de doctrina, de liturgia, de disciplina et de studiis ;

6. Decretum *de professione fidei,* quod postridie in Sessione prima proclamabitur una cum decretis *de aperienda Synodo* et *de modo vivendi in Concilio,* integre a quinto Concilio sumendis ;

7. Ordo adhibitus in præcedentibus Conciliis, et in præsenti servandus quoad residentiam, et agendi rationem Congregationum privatarum ac generalium.

Ad mentem Patrum Congregationibus privatis injungitur ut relationem scriptam faciant : 1° de titulo ; 2° de

opportunitate ; 3° de textu uniuscujusque schematis quod ipsis examinandum proponitur ; 4° de iis quæ de materia subjecta jam in præcedentibus hujusce provinciæ Conciliis statuta sunt. Hæc autem relatio a Secretario Congregationis subsignata, statim ac completa fuerit, remittatur uni ex promotoribus.

8. Ordinaria promissio de secreto ab omnibus custodiendo, ne quid reveletur detrahens vel reverentiæ Concilio debitæ, vel honori cujusvis personæ.

Omnes surgunt in signum assensionis, et dicta oratione *Sub tuum* finis imponitur Congregationi.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

SESSIO PRIMA.

Ad primam Sessionem celebrandam, Dominica IV post Pascha, incidente in diem decimam nonam maii, hora nona, conveniunt Patres in aula majori, et per publicam viam ad Basilicam processionaliter incedunt omnes ; missam de Spiritu Sancto celebrat Rmus Episcopus Sti Germani *de Rimouski*, et sermonem de auctoritate Ecclesiæ ejusque salutaribus consectariis habet Rmus Episcopus Trifluvianus.

Post missam, expletis psalmo et precibus consuetis, sedet in faldistorio Illmus Concilii Præses, et coram illo sistunt promotores instantes ut aperiatur Concilium. Tunc Rmus Archiepiscopus mandat ut promulgentur decreta *de aperienda Synodo* et *de modo vivendi in Concilio*.

Leguntur a Secretariis et approbantur a Patribus: deiu, lectis nominibus Patrum, unusquisque respondet *Adsum*.

Proclamatur eodem modo decretum *de professione fidei*, et in ambone a Secretario pronuntiatur, omnibus stantibus, fidei professio juxta formulam a sacræ memoriæ Pio IV præscriptam, additis iis quæ, de mandato Pii IX, in decreto specialis congregationis continentur. Tunc Patres ad Evangelium consuetum juramentum præstant.

Ad instantiam promotorum, mox annuunt Patres in indicenda proxima Dominica, quinta post Pascha, pro secunda Sessione publica, et Secretarii spondent se acta præsentis Sessionis confecturos.

Surgunt Synodales, et Illmus Archiepiscopus altare ascendens benedictionem cum indulgentia impertitur; et ab omnibus associati, Patres mitra et pluviali induti ad domum archiepiscopalem redeunt.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

SECUNDA CONGREGATIO GENERALIS.

Habita feria II, hora tertia post meridiem.

Intersunt loco solito Patres cum deputatis, theologis, canonistis et officialibus.

Legitur et admittitur relatio primæ Congregationis generalis.

Promotores tunc relationes ex Congregationibus privatis adductas submittunt ordine sequenti. scilicet:

1. Ex Congregatione *de Disciplina*, circa schema *de residentia.*

2. Ex Congregatione *de Studiis*, circa schemata *de juvenibus ad statum ecclesiasticum vel religiosum vocatis*, et *de studiis ecclesiasticis.*

3. Ex Congregatione *de Doctrina*, super *schematibus de coma et barba*, et *de obedientia sacerdotum erga suos episcopos.*

4. Ex Congregatione *de Decretis*, schema confectum *de cœtibus politicis intra fines fundi ecclesiarum congregatis*, et *de juribus Ecclesiæ*, ac *de spiritualibus exercitiis in parochiis.*

5. Ex Congregatione *de Liturgia*, circa schemata *de Sacramentis, de Baptismo, de Confirmatione, de Pœnitentia, de Eucharistia, de Extrema Unctione*, et *de Ordine.*

Legitur quævis relatio cum schemate respectivo, animadversiones quædam a Synodalibus afferuntur, et absoluta discussione, Rmus Archiepiscopus ad feriam quartam, hora tertia post meridiem transfert proximam Congregationem generalem.

Recitata prece, omnes recedunt.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria III, hora nona cum dimidia, conveniunt Patres.

Additur in litteris collectivis Patrum paragraphus de Encyclica Leonis PP. XIII.

2

Secundum schema *de professione fidei* refertur Congregationi *de Studiis.*

Legitur præscriptio Concilii Tridentini *de residentia,* qua injungitur promulgatio Decreti Pauli III et decretum de parochis et aliis animarum curam gerentibus promulgatum in secundo Concilio. Nihil videtur addendum decreto *de residentia* quod admittitur.

Examinatur relatio de schemate super *juvenibus ad statum ecclesiasticum vel religiosum vocatis* et derelinquitur schema.

Denuo refertur Congregationi *de Studiis* schema *de studiis ecclesiasticis,* ut novum decretum solummodo de studiis *philosophicis* conficiat, insinuando quod de usu linguæ latinæ suggeritur in altero schemate, cui titulus *de variis disciplinæ capitibus.*

Episcopi inter se discutiunt opportunitatem schematis *de obedientia sacerdotum erga suos episcopos,* et illud derelinquunt.

Injungitur Congregationi *de Disciplina* ut addat schemati *de vita et honestate clericorum* paragraphum extractum ex epistola Nuntii Monacen, et Frisingen, circa " viros novitatis vel potius levitatis spiritu perductos."

Coram Patribus ponitur schema *de juribus Ecclesiæ* et, mota discussione, injungitur Congregationi *de Decretis* ut illi decreto quasdam animadversiones addat.

Contra opportunitatem hujusce decreti opponit Archiepiscopus doctrinam ibidem expositam jam inveniri in decretis Concilii quinti, in pastorali communi 22 Septembris 1875, necnon in Encyclica recenti Leonis XIII, quæ mox cum Pastorali hujusce Concilii promulganda est.

Emendatur schema *de exercitiis spiritualibus in parochiis*, intercalando verba "pro omnibus fidelibus" post verba "inter illa exercitia."

Lecta relatione Congregationis *de Liturgia*, illi mandant Patres ut relata schemata nunc conferant cum decretis ejusdem nominis in secundo Concilio promulgatis ; et in margine schematum notent quæ jam illic expressa sunt.

Convenit inter Patres de missa pro translatione corporis sacræ memoriæ Francisci de Laval, primi Episcopi Quebecensis, et pro aliis Præsulibus defunctis Provinciæ, celebranda feria V proxima in Basilica, cujus in crypta jacuit septuaginta et centum annis, pia populorum veneratione jugiter permanente.

Hora undecima cum tribus quadrantibus prece finis imponitur Congregationi.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria tertia, hora secunda cum dimidia, Præsules resumunt sessionem.

Legitur relatio Congregationis ejusdem diei et emendata approbatur. Suppeditabunt Suffraganei scripto rationes, quas propter emiserunt votum pro rejectione schematis *de obedientia sacerdotum*.

Supplex libellus de festo Reliquiarum a S. Sede obtinendo, in diœcesibus quæ isto privilegio non gaudent, approbatur.

Leguntur litteræ Circuli Catholici Quebecensis circa opuscula ab Associatione S. Francisci Salesii vulgata pauciori pretio. Responsum conficiet Rmus Archiepiscopus et mittet Equiti Vincelette, Præsidi laudati Circuli.

Dein prece recitata Congregatio absolvitur.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria quarta, hora nona ante meridiem, adsunt omnes Patres.

Leguntur relatio Congregationis præcedentis et responsio ab Illmo Archiepiscopo nomine Patrum ad Circulum Catholicum dirigenda, approbanturque.

Proponit Episcopus Sti Germani expositionem motivorum cur pridie a Suffragancis admissum est schema *de juribus Ecclesiæ*, quæ sic se habet :

Cum in relatione Congregationis pridie habitæ Illmus Archiepiscopus expresserit cur dissensit de admissione schematis super *juribus Ecclesiæ*, Episcopi Trifluvianus, Sti Germani, Ottawiensis et Sti Hyacinthi deducere volunt rationes ob quas votum affirmativum emiserunt, scilicet : 1° quia in quinto Concilio hæc Ecclesiæ jura quasi obiter tractata sunt ; 2° a tempore istius Concilii audacter contestata et in Provincia a multis denegata sunt ; 3° eapropter necessarium visum est toti episcopali cœtui, die 22 Septembris 1875, edere pastoralem epistolam inter alia asserentem hæc jura ; 4° serius iidem

Archiepiscopus et Episcopi compulsi sunt collectivam declarationem promulgare propter aliquorum istorum jurium negationem in quodam Supremæ Civilis Curiæ judicio contentam ; 5° plurimi erronee sentientes contenderunt et adhuc contendunt Episcopos dereliquisse horum jurium recuperationem. Si ergo hæc sexta Synodus nullum ederet decretum de hujusmodi materia, ita certe silentium consultum a multis interpretaretur ut verum scandalum bonis christianis præbens ; 6° Conciliarium decretum immediate fultum Syllabo, peculiarem vim addet protestationibus provincialis episcopatus.

Discutitur schema *de cleri munere in electionibus politicis*, proponente Episcopo Trifluviano et assistente Episcopo Sti Germani ; et post aliquod tempus examini quæstionis supersedent Patres ut cum Excellentissimo Delegato Apostolico in Canada habeant verbum.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

TERTIA CONGREGATIO GENERALIS.

Feria IV, hora tertia post meridiem, adsunt omnes.

Lectis et approbatis relationibus Sessionis publicæ primæ et secundæ Congregationis Generalis, promotores submittunt relationem Congregationis *de Studiis* :

1. Circa *studia philosophica*, cujus schematis confectio ad illam Congregationem a Patribus remissa fuerat, et cui finxit titulum de *studio philosophiæ*, sumens verbum lato sensu.

2. Super schemate *de cantu ecclesiastico*, ex duabus

partibus coalescente, prima insinuante adoptionem novæ editionis librorum choralium a Pio IX approbatæ; et secunda quasdam regulas gravitatis imponente cantui figurato. Relatio exponit alteram opinionem exortam esse, secundum quam aliquis postulat prohibitionem cantus figurati in ecclesiis.

Unus ex secretariis legit relationes Congregationis *de Decretis :* 1° super tribus schematibus *contra clericos negotiis sæcularibus se immiscentibus ;* 2° *de homicidio ;* et 3° *de vita et honestate clericorum.*

Discussio protrahitur usque ad sextam horam. Permittunt Patres ut schema primum adducatur iterum in proxima Congregatione generali, quæ cras habebitur hora quarta post meridiem.

Oratione concluditur sessio.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

Feria quinta, adstantibus Illmo ac Rmo D. D. G. Conroy, Delegato Apostolico, et Illmo ac Rmo D. D. A. A. Taché, Archiepiscopo Sti Bonifacii, una cum omnibus Patribus et Theologis Concilii, fiunt solemnes exequiæ pro defunctis episcopis provinciæ, præsertim vero sacræ memoriæ D. D. Francisco de Laval, primo Quebecensi Episcopo, vita functo die 6 maii 1708. Eius corpus postquam per centum et septuaginta annos in Basilica requieverat, solemniter translatum est ante missam ad ecclesias Sancti Josephi Ursulinarum, Beatæ Mariæ Jesuitarum, sancti Patritii Hibernorum et Pretiosissimi Sanguinis Xenodochii. Post missam cantatam a Metropolitano in Basilica, elogium a Rmo D. D. A.

Racine, Episcopo Sherbrookensi, prolatum est, et deinde corpus translatum fuit ad capellam publicam Seminarii Quebecensis, cujus fundator et munificentissimus benefactor fuit D. D. de Laval. Immensus fuit cleri et populi concursus, et omnes sperant fore ut brevi ipsis liceat publice invocare sanctum præsulem, cujus sanctitatis fama ad nostra tempora pervenit et de die in diem augetur.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

QUARTA CONGREGATIO GENERALIS.

Feria V, hora quarta post meridiem, adsunt Patres omnes cum synodalibus.

Leguntur 1° relatio tertiæ Congregationis, et 2° relationes Congregationis *de Doctrina* super *origine et fine hominis*, super *jejuniis et abstinentia*, super *usura et* super *choreis*.

Illmus Archiepiscopus mandat ut proxima Congregatio convocetur sabbato, nona hora ante meridiem.

Dicta prece, abeunt omnes.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria VI, hora nona ante meridiem, conveniunt Patres.

Legitur relatio quartæ Congregationis. Ex parte Episcoporum Trifluviani, Sti Germani, Ottawiensis et Sti Hyacinthi inibi exprimuntur rationes pro quibus illis placuerit schema de *juribus Ecclesiæ.*

Leguntur et seponuntur derelicta schemata *de cantu, de origine et fine hominis,* et *de usura.*

Leguntur relationes Congregationis *de Doctrina* super *jejuniis et abstinentia* et Congregationis *de Decretis* 1° super *homicidio* et 2° super *clericis negotiis sæcularibus sese immiscentibus.* De his mandant Patres quæ sequuntur : primum schema remittitur Congregationi ut additiones suggestæ introducantur, adjuncta clariore definitione gravitatis harum obligationum : secundum schema admittitur, sed pro titulo subrogantur verba *de procurantibus abortum,* emendatur in textu secundum suggestionem Congregationis, et deletur finalis paragraphus.

In tertio schemate jubetur Congregationi 1° ut addat definitionem mercaturæ; 2° ut munus scholarum commissariorum (Commissaires d'écoles) excipiatur ex his quæ suscipere non poterunt sacerdotes inconsulto episcopo; 3° ut non absolute prohibeatur sacerdotibus ne deposita recipiant, sed exigatur licentia episcopi; 4° ut deleatur ultimus paragraphus de emptionibus.

Proponitur et adoptatur schema *de cleri munere in electionibus politicis.*

Dicunt precem et recedunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria VI, hora secunda cum dimidia post meridiem.

Post relationem Congregationis præcedentis, resumitur examen schematis *de clericis sese negotiis sæcularibus immiscentibus.*

Illius titulum mutant Patres, ita ut legatur : *Ne clerici sese negotiis sæcularibus immisceant.*

Illmus Archiepiscopus cœtui præsentat supplices litteras Moderatorum Seminarii Quebecensis et Universitatis Lavallensis Patribus directas de introductione causæ venerabilis Dei famuli Francisci de Laval, primi Episcopi Quebecensis. Episcopo Sti Germani committitur cura conficiendi responsum Patrum assensum exprimens.

Legitur schema *de vita et honestate clericorum*, una cum relatione Congregationis *de Doctrina.*

Lecta relatione Congregationis *de Liturgia* super schematibus *de Sacramentis, de Baptismo, de Confirmatione, de Pœnitentia, de Eucharistia, de Extrema Unctione* et *de Ordine*, derelinquuntur omnia.

Examinatur tandem schedula festorum quorum introductio in provincia postulatur ; quædam seliguntur, aliis non sollicitandis a Sancta Sede.

Post precem surgunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

QUINTA ET ULTIMA CONGREGATIO GENERALIS.

Sabbato, hora nona ante meridiem, veniunt Patres, adstantibus omnibus.

Legitur et admittitur relatio Congregationis præcedentis.

Promotores petunt ut legantur successive relationes quæ preparatæ sunt a Congregationibus privatis :

1. Ex Congregatione *Studiorum : De professione fidei.*

2. Ex Congregatione *Liturgiæ : De patrinis in Confirmatione ;* ac *de Sacramentis et sacerdotali ministerio ;* necnon *de sacra liturgia et rebus sacris.*

3. Ex Congregatione *Disciplinæ : De foro ecclesiastico et de officialitatibus ; de matrimonio, de causis matrimonialibus,* et *de secretis congressibus juniorum ;* et etiam *de variis disciplinæ capitibus.*

4. Ex Congregatione *Liturgiæ : De tempore ad missam celebrandam requisito ; de eleemosynis pro missa celebranda oblatis,* et *de stipendio pro missa..*

Post prandium, resumitur Congregatio : adducuntur et leguntur :

1. Relatio Congregationis *Decretorum* de schemate *contra injustitias in cessione bonorum,* et

2. Relatio Congregationis *Doctrinæ ; De charitate erga proximum* et *de litibus evitandis.*

Prece concluditur Congregatio.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

SEPTIMA ET ULTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Sabbato, hora tertia post meridiem, Patres adeunt aulam consuetam.

Leguntur relationes sextæ Congregationis generalis et præcedentis sessionis Patrum ac Congregationis *Decretorum* de schemate *professionis fidei.* Illius loco substituitur decretum verbis octavi decreti in plenaria Episcoporum Hiberniæ Synodo promulgati compositum.

Ex Congregatione *Disciplinæ* adducuntur relationes super sequentibus schematibus:

1. *De officialitatibus* et *de causis matrimonialibus.*
2. *De variis disciplinæ capitibus.*

Admittitur primum: in secundo vero unum caput redigitur sub titulo *de examine novorum librorum.*

3. *De matrimonio et de causis matrimonialibus.*

Ex Congregatione *Liturgiæ*, schemata:

1. *De patrinis in Confirmatione;*
2. *De liturgia et rebus sacris;*
3. *De tempore ad missam celebrandam requisito,* et
4. *De stipendio* pro missa celebranda.

Derelinquuntur secundum et tertium, primum et quartum admittuntur.

Ex Congregatione *Doctrinæ*, schemata:

1. *De choreis*, quod admittitur mutato titulo in aptiorem: *De periculis morum.*
2. *De fidei periculis*, qui titulus sic mutatur: *De nonnullis fidei periculis vitandis.*
3. *De jejuniis et abstinentia,* quod decretum amplificatum acceptatur.

Ex Congregatione *Decretorum*, schemata:

1. *De variis disciplinæ capitibus:* derelinquitur, ex-

cepta quadam parte adjuncta decreto cui titulus: *De periculis morum.*

2. *Contra injustitias in cessione bonorum.*

3. *De charitate erga proximum et litibus evitandis:* cui schemati datur sequens titulus: *De peccatis contra charitatem et justitiam in litibus.*

Ex Congregatione *Studiorum*, schema *de surdo-mutis*, quod adoptatur cum additamentis.

Inquirit dein Episcopus Sti Germani num præparatum fuerit, ex quinto Concilio Provinciali, (10 Cong. privata) manuale *de libertate Ecclesiæ*, recognoscendum et adoptandum in collegiis, gymnasiis, academiis, etc. Convenit inter Patres illud manuale expleri debere quantocius et redigi per qæstiones et responsa, et in duabus editionibus, una elementaria pro pueris scholarum, et altera completiore pro collegiis et gymnasiis.

Tandem examini Patrum subjicitur opportunitas supplicandi Sanctissimo pro erectione in Vicariatum Apostolicum partis cujusdam diœceseon Ottawiensis et Trifluvianæ.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

SECUNDA ET ULTIMA SESSIO.

Dominica V post Pascha, breviori via ob æris intemperiem, Patres, quibus se jungit Illmus ac Rmus Archiepiscopus Sti Bonifacii, ad Basilicam solemniter procedunt.

Missam celebrat Rmus Episcopus Ottawiensis, et concio habetur ad populum de verbo Dei a Rmo Episcopo Marianopolitano.

Cantatis psalmo consueto et Hymno *Veni, Creator,* Promotores petunt promulgationem decretorum editorum a Patribus a prima Sessione et proclamationem nominum Synodalium.

Unus e secretariis legit titulos duo et viginti decretorum quæ sunt ut infra :

1. De residentia.
2. De juribus Ecclesiæ.
3. De vita et honestate clericorum.
4. De studiis philosophicis.
5. Ne clerici sese negotiis sæcularibus immisceant.
6. De cleri munere circa electiones politicas.
7. De fidei professione emittenda.
8. De foro ecclesiastico et de officialitatibus.
9. De exercitiis spiritualibus in parochiis.
10. De matrimonio et de causis matrimonialibus.
11. De examine librorum novorum.
12. De domestica puerorum educatione.
13. De puellarum in religiosis domibus educatione.
14. De patrinis in Confirmatione.
15. De stipendio pro missa celebranda.
16. De surdo-mutis.
17. De nonnullis fidei periculis vitandis.
18. De jejuniis et abstinentia.
19. De peccatis contra charitatem et justitiam in litibus.
20. Contra injustitias in cessione bonorum.
21. De periculis morum.
22. De procurantibus abortum.

Deinde nominatim vocantur Patres, Deputati, Theologi, Canonistæ et Officiales : quisque præsentium respondet : *Adsum.*

Ad instantiam Promotorum editur tunc decretum subscriptionis. Illmus Archiepiscopus et Suffraganei loco et ordine suo ad altare accedunt cum mitra, et iis quæ in Synodo decreta sunt subscribunt.

Leguntur duo alia decreta, unum denuntians proximum Concilium provinciale, et alterum *de fine Concilii.*

Illmus Præses intonat hymnum *Te Deum.* Quo expleto fiunt acclamationes consuetæ.

Dato osculo pacis ab Archiepiscopo cuique præsulum præsentium, et isti mutuo pacem exoptant alter ad alterum.

Benedicit omnibus Illmus Archiepiscopus et concedit quadraginta dierum indulgentiam. Quo facto recedunt omnes processionaliter.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secrius.

PARS SECUNDA.

DECRETA

SEXTI CONCILII PROVINCIÆ ECCLESIASTICÆ QUEBECENSIS.

DECRETUM I.

De aperienda Synodo.

In nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nos, Elzearus-Alexander Taschereau, Ecclesiæ Metropolitanæ Quebecensis Archiepiscopus, ad laudem et gloriam Dei, et Salvatoris Nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei, Patri consubstantialis, qui, pro nobis caro factus, unus est Dei et hominum mediator, et auctor salutis nostræ; sub tutela et præsidio Matris ejus Beatæ Mariæ Virginis, Sancti Petri, Apostolorum Principis, Sanctorum quorum patrocinio Nostræ Ecclesiæ cathedrales et diœceses muniuntur, atque omnium Sanctorum, statuimus ac decernimus, de consensu ac consilio Rmorum Episcoporum Nostrorum comprovincialium, hac ipsa die decima nona maii inchoari atque adeo inchoatum esse Concilium provinciale, quod Nostra metropolitana auctoritate indiximus et convocavimus; Jesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum humiliter deprecantes ut quod cœpit ipse perficiat, ac quæcumque ad nostram clerique et populi ædificationem stabilienda cognovimus, ab omnibus et singulis, Deo adjuvante, observentur.

DECRETUM II.

De modo vivendi in Concilio.

Hæc Synodus provincialis, a Beato Apostolo edocta quod "*omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum,*" qui eis qui postulant a se sapientiam dat omnibus affluenter, statuit omnes christifideles hujusce civitatis Quebecensis quorum sicut et totius Provinciæ gratia celebratur, exhortandos esse, prout hortatur, ut se a peccatis hactenus commissis emendare, ac de cætero in timore Domini ambulare, piis operibus instare, ad sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ frequentius accedere, et quotidie pro Episcopis et Sacerdotibus hic legitime congregatis, instanter orare velint ; eosdem vero Episcopos et Sacerdotes ut assidue incumbant in laudibus Dei, atque singulis diebus, in quantum fieri poterit, sanctissimum Missæ sacrificium peragant, aut saltem mysteriorum celebrationi devote intersint, facientes obsecrationes, orationes et postulationes pro Ecclesia Sancta Dei, pro SSmo Patre Nostro Leone XIII, pro Regina nostra, pro gubernatoribus et cæteris qui in sublimitate constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut tranquillam et quietam vitam agamus, pace fruamur, et fidei augmentum videamus. Præterea hortatur illos ut jejunent singulis sextis feriis, in memoriam Passionis Domini, omnibusque diebus mensa frugali utantur.

Et quoniam oportet Episcopos irreprehensibiles esse, hortatur etiam illos et obsecratur in Domino, ut otiosas sermocinationes sedulo devitent, vitæ innocentia et integritate, fide, religione et pietate omniumque virtutum ornamento præfulgeant, ita ut in omnibus honestatem præ se ferant, sicut decet ministros Dei mysteriorum.

Cum autem Synodi provincialis scopus sit, ut sacra Conciliorum Summorumque Pontificum decreta renoventur et custodiantur, illos monet summopere ipsis curandum esse ut ea accurate referantur, adjectis quibusdam, si opus est, explicationibus; ita tamen ut non recedatur unquam a mente Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, cæterarum Ecclesiarum matris ac magistræ.

In sententiis vero dicendis nullus audeat aut immodicis verbis perstrepere, aut tumultibus perturbare, variisve et obstinatis disceptationibus contendere; sed omnes ad gloriam Dei et animarum salutem unice conspirantes, cum modestia et animi lenitate, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportune servato ordine, proferant opiniones, in actionibus tam privatis quam publicis; ac ita quidquid dixerint, miti verborum prolatione temperent, ut nec audientes offendantur, nec recta judicii acies perturbato animo inflectatur.

Insuper ipsa Synodus decernit ac declarat quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, sive in sessionibus, sive in congregationibus, nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur (*Conc. Trid.* 16, 2). In qualicumque enim ordine quisque compareat et sedeat, jura illius salva esse vult Synodus.

Demum universis qui jure vocati ad hoc Concilium provinciale convenerunt, in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ne antequam dimissum fuerit, discedere præsumant, nisi ob rationabilem causam, facultateque petita et obtenta a Patribus; et insuper eos hortatur ut diurnum vivendi ordinem, in prima Congregatione generali promulgatum et statutum, fideliter exsequantur.

DECRETUM III.

De professione fidei.

Cum fides, sine qua impossibile est placere Deo, sit initium et fundamentum salutis, proinde primum et præcipuum munus pastoralis sollicitudinis esse debet ut integra et illibata servetur illa catholica fides quam tenet et colit sancta romana Ecclesia. Quam ut omnes in hac nostra provincia amplectentur et firmiter teneant, hæc Synodus, Patrum exemplis adhærens, ante omnia statuit ac decernit, præmittendam esse ejusdem sanctæ et catholicæ fidei professionem juxta formulam a sacræ memoriæ Pio IV, Pontifice maximo, præscriptam, additis iis quæ de mandato sacræ memoriæ Pii IX in decreto specialis Congregationis 20 januarii 1877, continentur. Cum autem S. C. de Propaganda Fide, die 8 aprilis 1875, responderit : "jamdiu invaluisse laudabilem con- "suetudinem, qua episcopi in synodis provincialibus, "etiamsi aliis jam interfuerint, fidei professionem emit- "tant, et hortandos præsules ecclesiasticæ provinciæ "Quebecensis, ut eamdem consuetudinem in posterum "servare studeant," hæc Synodus hanc professionem ab omnibus et singulis Patribus palam ac publice emittendam jubet et mandat.

PROFESSIO ORTHODOXÆ FIDEI JUXTA FORMAM A SUMMIS PONTIFICIBUS PIO IV ET PIO IX PRÆSCRIPTAM.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet : Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum

Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his

Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiæ catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quæ de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

Cætera item omnia a sacris Canonibus et œcumenicis

Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, præsertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei evangelia.

DECRETUM IV.

De residentia.

Ne ulla temporum injuria aut hominum oblivione aut desuetudine aboleantur salutares regulæ quas statuit sacrosanctum Tridentinum Concilium (sess. VI, cap. 1. 2. *de reform.*, et sess. XXIII, cap. 1. de ref.), circa personalem residentiam pastorum animarum, hæc Synodus omnes hujusce provinciæ Episcopos et quoscumque alios clericos in ea animarum curam habentes, ut dicta Tridentina decreta, necnon eam partem decreti XV Concilii provincialis II (§. 4, 5) quæ ad eamdem materiam spectat, identidem perlegant et fideliter observent.

DECRETUM V.

De fidei professione emittenda.

Cum iis qui corde in fide firmi sunt, et stabiles ad justitiam, ore insuper confessio facienda sit ad salutem ; Concilii Tridentini (XXIV, cap. 12) et pontificiarum Constitutionum mentem sequentes, professionem fidei a Pio IV et Pio IX præscriptam, ab infrascriptis emittendam decernimus. Illam nempe emittant :—

1. Episcopi aliique de clero, recens de beneficiis Ecclesiasticis provisi, in Diœcesana Synodo primo celebranda.

2. Dignitates aut Canonicatus obtinentes, post possessionem obtentam, tum in manibus Episcopi vel ejus Vicarii Generalis seu Officialis, tum in Capitulo infra bimestre.

3. Beneficia cum animarum cura recipientes, post possessionem, infra idem tempus in manibus tantummodo Episcopi vel Vicarii Generalis. (a)

4. Item novus Vicarius Generalis.

5. Docentes in Seminariis Theologiam, Philosophiam, jus Canonicum, vel litteras humaniores, omnesque qui ad confessiones audiendas deputantur, et Vicarii Parochorum cum primum nominantur ab Episcopo.

(a) Ad dubium ab Archiepiscopo Quebecensi propositum : an decretum tridentinum circa professionem fidei obliget etiam parochos amovibiles ad nutum ?

R. Quoad præteritum supplicandum SSmo pro sanatione, quoad futurum provisum in Cap. V ipsius Synodi. SSmus D. N. approbavit die 4 septembris 1881. (Ex epistola Emi D. D. Cardinalis Præfecti S. C. de Prop. fide ad Archiepiscopum Quebecensem, 16 decembris 1881.)

DECRETUM VI.

De juribus Ecclesiæ

Parvus error in principiis fit maximus in illationibus, ait Sanctus Thomas : et revera, historia omnium hæresium constat multa vel potius innumera mala provenisse in catholicam societatem ex erroribus qui, prima fronte, minus accuratæ tantum veritatis expositiones videbantur. Ideo Sanctus Paulus ab Ephesiis discedens nihil tam sibi gloriæ et consolationi esse reputat quam ardentem zelum *quomodo nihil subtraxerit utilium quominus annuntiaret eis.* (Act. XX, 20).

Quum ergo possint inveniri et de facto inveniantur homines qui, spe falsæ libertatis decepti, facillime a facto concludant ad jus et qui, ex eo falso principio, multa jura Sanctæ Matris Ecclesiæ negantes vel saltem in dubitationem adducentes, multorum animos in viam erroris trahant, declaramus fidelium officium esse semper magis ac magis Sedi Romanæ firmiter adhærendi et cunctas singulasque propositiones ab Ipsa damnatas rejiciendi juxta hortationem SSmi D. N. Leonis PP. XIII in Constitutione " Inscrutabili Dei consilio."

Meminerint omnes inter errores damnatos sequentes propositiones in Syllabo adjecto Encyclicis litteris " Quanta cura " recenseri :

" Protestantismus non aliud est quam diversa veræ ejusdem christianæ Religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est " (Prop. XVIII).

" Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis

est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat " (Prop. XIX).

" Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu " (Prop. XX).

" Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit " (Prop. XXX).

" Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus " (Prop. XXXIX).

" Civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in sacra, eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus appellationis quam nuncupant *ab abusu* " (Prop. XLI).

" Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt : quin etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione, et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere " (Prop. XLIV).

" Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica Fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet " (Prop. XLVIII).

Si enim fideles Christum docentem in Ecclesia sequamur, non ambulabimus in tenebris, quantacumque sit obscuritas noctis ; si huic Petræ quam Christus posuit columnam et firmamentum veritatis, adhærere corde amanti perseverabimus, non movebimur nec circumfe-

remur, sicut fluctus maris, omni vento doctrinæ (Jac. I, 6), quæcumque sit rabies tempestatis, sed e contra, ab omni periculo naufragandi circa fidem remoti (I. Tim. I, 19) et lumine veritatis circumdati, in pace et bonis operibus abundantes, portum æternæ felicitatis attingemus.

DECRETUM VII.

De vita et honestate Clericorum.

1. Nullus in sacris ordinibus constitutus tonsuram clericalem habitualiter omittere præsumat, nisi ob impossibilitatem ab Ordinario recognitam.

2. Quando clerici vestem talarem, itineris causa deponunt, volumus, ut, ubique, etiam extra hanc provinciam, collari romano retento, vestem nigram, quæ infra genua producatur, induti, viros ecclesiasticos se profiteri glorientur.

3. Quoniam tristissimis hisce temporibus spiritus omnia innovandi haud paucos seducit, et ex una novitate in aliam procedi possit, clericis commendamus ut comam et barbam studiose, aut laicorum more, ne nutriant. Volumus etiam ut disciplinæ unitas et perfecta cum Ecclesia Romana, omnium magistra, conformitas in omnibus, et proinde hac in re, tanquam norma, ab omnibus ecclesiasticis servetur. (a)

4. Omnes qui regali Christi sacerdotio insigniti sunt, supereminentis istius dignitatis nunquam immemores, ipsam tum in semetipsis, tum in suis fratribus venerentur.

(a) Ex epistola a Nuntio Apostolico in Bavaria, scripta ad Archiepiscopos Monach. et Frising., jussu S. M. Pii IX.

5. Quapropter, honore invicem prævenientes, omnimoda suavitate, modestia et urbanitate inter se conversentur ; ac quolibet vulgaris familiaritatis signo abstineant, etiam privatim sed præcipue coram laicis et junioribus clericis.

6. Ne familiam suam extollere satagant supra nativam ipsius conditionem neque domum presbyteralem a consanguineis et affinibus invadi tolerent ; quum tamen et laudabile erit opus propinquis suis in quibus apparent signa religiosæ vel sacerdotalis vocationis, auxilium ferre.

7. Testamentum suum, sacerdotali charitate et pietate dignum, semper paratum teneant ; propriam pecuniam ne misceant cum Ecclesiæ pecunia vel aliis depositis ; et quæcumque ipsi debent, diligenter scripto præsignent.

DECRETUM VIII.

De studiis philosophicis.

" Quo validius contendunt religionis hostes imperitis hominibus, ac juvenibus præsertim, ea discenda proponere quæ mentes obnubilent moresque corrumpant, eo alacrius adnitendum est, ut non solum apta ac solida institutionis methodus, sed maxime institutio ipsa catholicæ fidei omnino conformis in litteris et disciplinis vigeat, præsertim autem in philosophia, ex qua recta aliarum scientiarum ratio magna ex parte dependet " (Encyc. Litt. SS. P. Papæ Leonis XIII 21 aprilis 1878). Completo igitur litterarum curriculo, per duos annos, quicumque inter clericos adnumerari desiderat, philosophicis studiis incumbet. Studia philosophiæ intellectualis et moralis ut fas est decernere post tot et tam eximia SS. Pontificum de philosophia scholastica enco-

mia, juxta mentem Doctorum catholicorum dirigentur.

Sacerdotes, postquam studiis theologiæ vacaverint (nemini cedentes circa vel humanas disciplinas sed e contra mente lumine etiam revelationis collustrata), efficacius sese devovebunt ad verbum Dei prædicandum *in doctrina sana* ad reddendam rationem fidei nostræ *et eos qui contradicunt* arguendos (Tit. I, 9.).

Satagant Episcopi ut in Collegiis præsertim ecclesiasticis linguæ latinæ suus honor et primatus servetur et amplietur, quæ est propria sanctæ matris nostræ Ecclesiæ Romanæ lingua.

DECRETUM IX.

De foro ecclesiastico et de officialitatibus.

1. Ex divina institutione, Ecclesia est vera perfectaque societas plane libera, sub regimine Summi Pontificis et Episcoporum, quibus competit potestas leges ferendi, et causas audiendi ac dirimendi, atque legum observantiam pœnis exigendi. Consequenter existit forum judiciale ecclesiasticum. Quod quidem forum agnoscendum esse, verba Christi demonstrant: "Si peccaverit in te "frater tuus...dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non au-"dierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus" (Matth. XVIII, 15, 17).

2. Hinc Pius VI in Constitutione *Auctorem Fidei*, eos damnat qui dicunt Ecclesiæ non fuisse a Deo collatam potestatem jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salutaribus pœnis coercendi atque cogendi. Item Pius IX, in Litteris Apost. *Ad Apostolicæ*, propositionem damnat sequentem: "Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet."

3. Concilium Vaticanum, Constitutione *Pastor æternus*, docuit et declaravit Romanum Pontificem divino Apostolici primatus jure, esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri.

4. Jure divino et vi institutionis Christi, Episcopi potestatem judiciariam habent sibi propriam, quam vel per se, vel per Vicarium aut alium quemcumque ad nutum revocabilem, in eis quæ fidem, sacramenta, sacras functiones nec non officia et jura sacro ministerio adnexa respiciunt, exercere possunt.

5. Contra delinquentes clericos possunt quibusdam in casibus Episcopi procedere, ut ait Tridentina Synodus, *extrajudicialiter* (sess. XIV, cap. 1. *de ref.*) *aut sine strepitu et figura judicii et sola facti veritate inspecta* (sess. XXV, cap. 14. *de ref.*). Attamen regulariter clericorum delicta ad officialitates seu tribunalia ecclesiastica sunt remittenda.

6. Quapropter in quantum possibile fuerit in unaquaque diœcesi constituatur tribunal ecclesiasticum seu officialitas, constans officiali, quatuor assessoribus, promotore, vice-promotore, necnon cancellario et vice-cancellario ; qui omnes ab Ordinario designentur et sint ad nutum revocabiles.

7. Quandocumque clericus in sacris vel sacerdos de aliquo crimine accusatus fuerit, nisi agatur de casu in quo Ordinarius secundum Canonem possit et ipse velit procedere sola facti veritate inspecta, vel nisi ipse reus maluerit paterna ejus jurisdictione rem terminari, accusatio a promotore vel vice-promotore coram officiali proponatur.

8. Officialis suos sibi assessores assumat ex quatuor

nominatis, et citato reo causam audiat et dirimat, saltem summarie procedendo ita ut veritas pateat. Ubi necessarium fuerit propter locorum distantiam et ad vitandas expensas, possit officialis, de assensu saltem unius ex assessoribus in causa, aliquem virum ecclesiasticum delegare qui loca visitet et testes audiat, servatis servandis, et relationem faciat. Idem præstare poterit ipse officialis per se ipsum, vel per unum ex assessoribus.

9. Causa in prima instantia dirempta censeatur, si unus saltem ex assessoribus cum officiali consenserit. Si vero uterque assessor ab officiali dissentiat, nulla sententia proferatur, sed res ad Ordinarium deferatur.

10. Episcopale tribunal, in causis criminalibus, constabit saltem duobus assessoribus ecclesiasticis ab Episcopo selectis cum Episcopo ipso vel Vicario Generali.

11. A sententia in his causis ab Episcopo lata, ad tribunal laicale appellatio quælibet est omnino reprobanda, necnon appellatio quæ dicitur *ab abusu*, scilicet cum quis sub eo prætextu quod Episcopus judicando sua potestate abusus sit, ad judices sæculares confugiat. Sic appellantes in excommunicationem majorem speciali modo Pontifici Romano reservatam ipso facto incidunt (Pii IX. Const. *Apostolicæ Sedis.*).

12. His et in similibus casibus, si quis gravatum ab ecclesiasticis judicibus se existimet, appellatio ejus intra decem dies utiles pateat, juris ordine servato, ad Metropolitanum et ad Sanctam Sedem. Appellatio a sententia officialitatis fieri non potest ad Ordinarium qui censetur ipse judicasse per suum officialem.

13. De expensis incurrendis tum in prima, tum in ulterioribus instantiis, hæc sunt tenenda :

(*a*) Ubi res agitur pro bono religionis et cleri honore,

ipse promotor de assensu Ordinarii, causam nomine publico suscipiat, et expensæ ferendæ erunt a Curia, si causa ceciderit.

(*b*) Si accusator pro proprio commodo egerit, cautionem in forma legali dare debebit in favorem officialis pro solvendis expensis, ad quas damnandus erit si accusationem probare non potuerit.

(*c*) Si accusatus se reum esse negaverit, similem cautionem dare teneatur pro casu quo causa ceciderit.

DECRETUM X.

De matrimonio et de causis matrimonialibus.

1. Sapientes et gravibus motivis fulcitæ sunt regulæ ab Ecclesia institutæ de cognationis et affinitatis impedimentis, quoad matrimonium contrahendum.

2. Multum ergo deploranda est frequentia nunc prævalens supplicum libellorum ad dispensationes obtinendas, quandoque sub levissimo prætextu. In quantum possibile est, tales uniones inter proxime cognatos vel affines præpediant parochi.

3. Quod attinet ad matrimonium ab hominibus non plenè cognitis, et præsertim a viduo vel vidua contrahendum, sedulo curent de illius statu libero explorando, etiam per authentica documenta, cum haberi possunt.

4. Studiose inquirant de diversis consanguinitatis naturalis vel spiritualis, affinitatis, publicæ honestatis, cœterisque impedimentis, quæ forte inter partes constarent; nec satis esse censeant ipsas interrogare, quando aliquod remanet dubium, sive de earum bona fide, sive de cujuspiam impedimenti existentia. Tunc autem aliorum testimonia præsertim seniorum, atque etiam acta publica

adhibenda sunt ; nulla est enim nimia cautio ad matrimoniorum nullitatem præcavendam.

5. Cum vero quæstio est judicium faciendi in his matrimonialibus causis "de valore contractus vel aliquo jure ex ipsius valore, vel nullitate fluente" (Bouix, *De judiciis*), scilicet cum dubitatur num matrimonium valide celebrari possit, anve rite initum fuerit, seu etiam certa est nullitas matrimonii celebrati, meminerint qui curam animarum habent a Sacro Concilio Tridentino (sess. 24, cap. 20 de Reform. § *Ad hoc*) et etiam a sac. mem. Benedicto XIV (Constitut. *Dei miseratione*) istarum causarum cognitionem omnibus judicibus inferioribus fuisse sublatam ac Episcoporum tantum examini et jurisdictioni reservatam. Ad illos ergo pertinet in hujusmodi causis ferre sententias, quæ vere non sunt pronunciandæ, nisi intervenerit ex officio defensor matrimoniorum, qui secundum præscripta a S. P. Benedicto XIV sedulo in omnibus munere suo fungatur.

6. Hinc tutius erit nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus, per Episcopum, vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiatur (Instructio S. C. Concilii super confectione processus in causis matrimonialibus.). (a)

7. In adjunctis hujus Provinciæ expediret igitur si Episcopi parochos specialiter delegarent ad conficiendos processus et relationem mittendam, cum testes ad curiam episcopalem adeundam præsto non sunt, exceptis tamen casibus in quibus agitur de nullitate matrimonii declaranda (Constitut. *Dei miseratione*).

8. Volumus ut ad Ordinarium referatur quidquid pertinet ad matrimonium contrahendum vel a peccatore

(a) Conf. *Acta S. Sedis* t. I, p. 439.

publico, præcipue si nomen dederit illicitæ societati; vel a minoribus, qui legalem parentum aut tutorum consensum nequeunt exhibere; vel a quacumque persona provinciæ aut diœcesi extranea.

9. Quoad matrimonia cum scandalosa legum transgressione contracta, parochus, quantumvis ipsi videatur expedire ut publica fiat reparatio, nihil prorsus agat, nisi permissionem vel mandatum Ordinarii obtinuerit.

Monemus etiam viros ecclesiasticos ne se immisceant in matrimoniis cujuscumque generis, nisi quando sacerdotalis charitas et prudentia id suadebit.

DECRETUM XI.

Ne clerici sese negotiis sæcularibus immisceant.

1. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (2 Tim. II, 4). Hæc Pauli monita memorans, sacerdotibus dicebat Concilium Quebecense II: " Caveant ne contra sacros canones, lucri causa, negotientur. Omnem avaritiam fugiant, scientes quod qui volunt divites fieri incidunt in varias tentationes, et in laqueum diaboli " (Decret. XIV, num. 15, 16.) Negotiatio proprie dicta quæ in hoc consistit quod quis quasdam res emat viliori pretio et easdem arte sua non melioratas vendat majori pretio, lucri causa, clericis semper quidem prohibita fuit: nunc autem visum est, propter adjuncta temporum, has sanctiones renovare. Itaque viros ecclesiasticos in sacris constitutos iterum monemus, et renovantes canonum præcepta, edicimus " ne rerum bonorumve quorumlibet, aut pecuniæ, mercaturam faciant; ne quæstuosas suo nomine, vel sub alieni nominis involucro, negotiationes exerceant: ne aliena prædia lucri causa conducant (ex

Conc. Plen. Baltim. II, tit. III). Sciant sacerdotes se a Deo in pastores dominici gregis, in scientiæ divinæ custodes, in mysteriorum Dei dispensatores, fuisse electos, non autem in conquisitores hujus sæculi. Meminerint ergo legum quibus regitur ipsorum status, ejusdemque servetur honor et decus. Quod si, nefando lucri æstu in varias negotiationes abrepti, harum sanctionum fuerint obliti, sciant se a mente Christi exulare, atque gravissimas a jure pœnas contra hujus legis transgressores esse statutas.

2. Quoad illos sacerdotes qui, negotiationem stricte et proprie dictam forte vitantes, nomen aliquando dant, vel ex redditibus suis suppeditant pecuniam, diversis illis institutionibus in quibus res emuntur quidem et venduntur, sed mutata ipsarum forma et natura, atque ideo vitata proprii nominis negotiatione, vel etiam quibusdam societatibus quæ, non sine magna difficultate et per ambages multas, notam mercaturæ prohibitæ putantur vel dicuntur vitare ; sciant ac meminerint : 1° redditus ecclesiasticos suapte natura operibus piis destinari ; ac propterea, periculis ac fluctuationibus non esse fas eosdem sine necessitate exponere ; unde, nihil his in rebus aggrediantur sacerdotes *inconsulto Episcopo ;* 2° semper viro ecclesiastico in sortem Domini vocato, nefas esse desiderium turpis lucri ut dives fiat ; 3° a multis ex illis institutionibus non abesse periculum usuræ, cambii activi, vel cujusdam mercaturæ sub alio nomine latentis ; 4° sæpe in iis esse, vel ex illis oriri, desideria multa, inutila, imo nociva, quæ *mergunt homines in interitum et perditionem* (I Tim. VI, 9) ; 5° non raro etiam has occupationes quibus viri clerici, sive ipsi immediate, sive alieno nomine, capiuntur, gregi fidelium maximo esse scandalo.

Hæc attendentes rei divinæ ministri facilius toti erunt in iis quæ sunt ad Deum, sapientes et quærentes quæ sursum sunt, non quæ super terram. Itaque sicut operariis inconfusibilibus, contra avaritiam, contra oblivionem rerum æternarum, contra nimiam bonorum temporalium insectationem, cum fructu populos licebit sacerdotibus docere quia et ipsi cœperint facere.

3. Insuper, quoniam definit Sancta Synodus Chalcedonensis (can. 3) "neminem......clericum debere se sæcularibus possessionum administrationibus ingerere," hæc VI Synodus Quebecensis, renovans quædam jam antea sancita (Conc. Prov. II, Decret. XIV), et iterum declarans juris ecclesiastici præcepta, prohibet: (*a*) ne aliorum in negotiis, inconsulto Episcopo, procuratores fiant; (*b*) ne cujusvis curam ac tutelam, præterquam suorum, aut officium executoris testamentarii pro laicis, nisi Episcopo consentiente, suscipiant; (*c*) ne publicum munus vel officium quodcumque acceptent, sive a Gubernio, sive per electionem a populo datum fuerit, nisi de licentia Ordinarii, penes quem erit, in quocumque casu, declarare utrum illa munera vel officia sint acceptanda nec ne; attamen Patres nihil mutare volunt in statu rerum hac in Provincia quoad eos qui talia munera vel officia in scholis administrandis acceptanda in posterum ducerent (Commissaires d'écoles); (*d*) neque, inconsulto Episcopo, pecuniarum deposita accipiant ea lege ut, fœnore aucta, statuto tempore recuperetur.

DECRETUM XII.

De cleri munere circa electiones politicas.

In hac provincia, sicut aliis in locis, quotiescumque de Parlamenti membris eligendis agitur, a quorum votis

catholicorum fides et incolumitas, et Ecclesiæ jura libertasque detrimenta pati possunt, religionis bonum et Ecclesiæ libertatem exigere putamus ut viri ecclesiastici solliciti sint ut hominibus probis et religionis catholicæ minime hostibus munera hæc conferantur. Attamen extra ecclesias, sine tumultu, absque charitatis violatione, et cum debita subjectione instructionibus in communi ab Episcopis hujus provinciæ promulgatis, ne dissensiones in clero oriantur, et cum ea moderatione, quæ statui clericali omnino convenit, relicta unicuique in dubiis libere pro se sentiendi facultate, de omnibus hujusmodi rebus agendum esse arbitramur.

DECRETUM XIII.

De patrinis in Confirmatione.

Ut melius et uniformiter servetur rubrica Pontificalis Romani circa patrinos in Confirmatione, sequentia observanda statuimus :

1. Confirmandi habebunt patrinos singuli singulos, nec tamen feminis mares, nec maribus feminæ patrini officium præstabunt. Quod si hoc fieri commode nequeat, saltem duo pro pueris patrini et duæ pro puellis adhibeantur. Quod si duo inveniri nequeant, vir unus pro maribus et una mulier pro fœminis adhiberi poterunt.

2. Nullus qui non sit confirmatus, potest esse in Confirmatione patrinus, nec pater, aut mater, maritus aut uxor (Pontif.). Ad hoc munus in Confirmatione non sunt admittendi excommunicati, interdicti, hæretici, aut alii quos Rituale Romanum excludit in collatione baptismi.

3. Patrinus confirmandum in brachio dextero teneat (Pontif.), vel manum dexteram super dexterum humerum confirmandi ponat (*S. R. C.* 20 *sept.* 1749).

4. Patrini cognationem spiritualem contrahunt cum confirmato et ejus patre aut matre.

5. Juxta præscriptionem ritualis romani, habeatur in unaquaque parochia vel missione liber, in quo inscribantur nomina confirmatorum necnon eorum patris et matris et patrini.

DECRETUM XIV.

De stipendio pro missa celebranda.

Ut sanctissimo sacrificio missæ debitus honor et cultus ad Dei gloriam et fidelis populi ædificationem servaretur aut restitueretur, decrevit Sancta Tridentina Synodus (sess. XXII) ut " Episcopi ea omnia prohiberi atque de " medio tollere sedulo curarent ac tenerentur, quæ, vel " avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia quæ ab " impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio veræ " pietatis falsa imitatrix, induxerit." Quapropter ea quæ sequuntur in memoriam sacerdotum omnium revocamus, additis opportunis præscriptionibus.

1. Ne quis plus nec regulariter minus exigat, quam Episcopo suo opportunum ac justum visum fuerit stipendium pro missa celebranda. Non tamen prohibetur accipere quod omnino libere ac spontanee offertur ultra taxam diœcesanam.

2. Meminerint sacerdotes qui stipendia pro missis celebrandis recipiunt, gravem sibi incumbere obligationem illas, vel per se, vel per alium, celebrandi et quidem sine nimia mora, nimirum intra tempus de quo conventum est cum offerente, vel intra brevis temporis spatium quando pro urgente necessitate postulatur oblatio missæ, vel tandem, in communibus adjunctis, intra tempus con-

stitutum sive per statuta diœccesana, sive per probatorum doctorum sententiam. Quæ igitur intra tempus statutum prævidentur non posse celebrari ab ipso recipiente vel ab alio sibi bene noto presbytero, ad eum quem Ordinarius designaverit, tempore opportuno et data secura occasione, transmittantur, qui ea juxta Ordinarii mandata, extra vel intra diœcesim celebranda curet. In hac autem transmissione sedulo notentur diversæ intentiones, v. g. an pro defuncto vel defuncta, vel defunctis, vel in honorem talis sancti etc. etc...... juxta ordinem receptionis in unaquaque categoria.

3. Quod ut ordinatius et securius fiat, unusquisque sacerdos regestum habeat, in quo stipendia et intentiones offerentium inscribantur juxta ordinem receptionis et sedulo notentur missæ ab ipso celebratæ vel aliis traditæ ad celebrandum. Hoc vero regestum episcopo, vel visitatori delegato, quotiescumque requisierit, exhibeatur. In parochiis commune esse poterit parocho et vicariis pro inscriptione missarum quarum stipendia a parochianis oblata fuerint.

4. Nulla stipendia missarum extra diœcesim mittantur absque licentia Ordinarii. Nunquam tradantur cuiquam mercatori, nec commisceantur cum temporalibus negotiationibus pro libris aut aliis rebus : qui abusus non semel condemnatus fuit a Sede Apostolica (*S. Congregatio Concilii*, 9 *septembris* 1874 *et* 24 *aprilis* 1875.)

5. Lege ecclesiastica prohibetur ne quisquam quid retineat de stipendio soluto pro celebranda missa, nec etiam in favorem ecclesiarum aut cujusvis boni operis, nisi ille qui jus habet ad stipendium pro missa celebrata vel celebranda, omnino libere de jure suo cedat.

6. Qui missam, cum debita licentia, bis celebrat eadem

die, nullum stipendium accipere potest pro secunda missa. Missæ quæ dicendæ sunt absque stipendio juxta regulas societatis cujus sacerdos est membrum, ab ipso possunt celebrari secundo loco. Parochus censetur stipendium jam accepisse ex redditibus suæ parochiæ pro missa quam diebus dominicis aut festis de præcepto tenetur celebrare pro populo, et ideo non potest accipere aliud stipendium, si aliam celebret eadem die ; si tamen duas parochias habeat, tenetur utramque applicare pro populo. Ab hac prohibitione excipiuntur missæ in Natali Domini.

7. Nullus parochus aut ecclesiæ rector fundationes missarum, vel in perpetuum vel ad certum annorum numerum, accipiat sine consensu fabricæ aut administratorum ecclesiæ, habito prævio consensu Ordinarii. Conditiones omnes accurate inscribantur in regestis et adamussim serventur.

8. In sacristia appendatur elenchus fundationum in hac ecclesia existentium, etiam ad tempus factarum, dummodo tempus nondum elapsum sit.

DECRETUM XV.

De exercitiis spiritualibus in parochiis.

Neminem fugit quanta proveniant bona ex spiritualibus illis exercitiis quæ identidem in parochiis habentur. Tunc enim gratiarum *diluvium Dominus inhabitare facit* (Ps. XXVIII), innumeri peccatores convertuntur, tepidi inflammantur et justorum perseverantia firmatur. Propterea Secundum nostrum Concilium (Decret. XV) parochos hortatur ut ea populo suo opportune tradenda curent. Ne autem frequentius aut rarius quam par est

habeantur, mandamus ut sine consensu Ordinarii inter illa exercitia pro omnibus fidelibus non ponatur intervallum brevius quam quinquennium aut longius quam decennium, parochorum conscientiam super hoc onerantes. Horum vero locum non censeantur tenere *concursus*, ut vocant, confessariorum occasione alicujus festi aut novemdialis, qui singulis annis in quibusdam parochiis habentur, nisi infra decennium iis detur talis solemnitas et præsertim talis duratio ut spiritualium exercitiorum nomen mereantur judicio Episcopi. Ut autem fructus suos producant, plura sunt servanda.

1. Maximi momenti est ut fideles tunc quam maximam libertatem et facilitatem habeant quemcumque maluerint adeundi confessarium.

Curandum igitur maximopere ut sufficientes numero præsto sint confessarii. Omnes, quantum fieri poterit, initio missionis adsint, nec ante finem discedant, nisi forte ad breve tempus propter urgentem necessitatem, v. g. ad infirmos administrandos aut ad officium dominicale peragendum in propria parochia. Poterunt parochi vicini hac occasione vesperas omittere ut citius reverti possint.

2. Ordinarii, pro modo et forma facultatum quas a Sancta Sede Apostolica obtinuerunt, delegabunt confessariis tempore et in loco missionis sacrum ministerium exercentibus, facultates tum ad absolvendum a reservatis, tum ad dispensationes, prout res postulaverit, pœnitentibus impertiendas.

Illæ autem facultates extendantur ad quindecim dies post peractam missionem, in gratiam infirmorum ejusdem parochiæ, vel eorum qui in fine missionis convertuntur, aut a confessione tempore missionis peragenda propter aliquam causam rationabilem fuerint impediti.

3. Licet missionum tempore pœnitentes bene plerumque disponantur, tamen ministerium confessionis solito difficilius est, quapropter orationi instandum est et maximopere cavendum tum a laxismo, tum a rigorismo.

4. Juvabit plurimum pluribus hebdomadibus aut etiam mensibus antequam inchoetur missio, ut parochus populum de ea certiorem faciat, exponendo quanta esse soleant hoc tempore divinæ largitatis beneficia; quas pœnitentibus indulgentias largiatur Ecclesia, ut fides renovetur et excitetur in omnibus spes et bona voluntas tantis perfruendi bonis, misericordiam divinam consequendi.

Nec omittatur assidua et fervens supplicatio tum pastoris, tum ovium invitentur omnes ad eleemosynas fundendas et opera pietatis exercenda, præsertim vero ad fugienda peccata, pravas consuetudines expugnandas et vitandas occasiones peccati.

Juvabit etiam ecclesiam nonnihil ornare.

Confessionalia, superpellicea et stolæ violaceæ sint numero sufficientes.

5. Peracta missione parochus instet orationi et prædicationi, ut omnes in bono proposito perseverent, ut relapsi in peccatum iterum assurgant et justi justificentur adhuc.

6. In parochiis nimis numerosis plures dentur successive missiones, v. g. solis viris et deinde mulieribus, vel junioribus et deinde senioribus.

Hoc autem omnino fiat ubi diversæ sunt linguæ, ne adsit confusio tum in prædicatione, tum in confessionibus.

DECRETUM XVI.

De domestica puerorum educatione.

Quum e christiana educatione, tamquam ex uberrimo fonte, innumera scaturiant bona in societatem tum civilem tum religiosam, nullumque sit efficacius medium procurandi terrestrem cœlestemque puerorum felicitatem, hæc Synodus vehementer hortatur presbyteros ut quam frequentissime doceant parentes eorum in materia tam gravi officia.

Itaque, eos pari cura removentes a nimia severitate, juxta præceptum Apostoli : " Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros " (Col. III, 31), et a dissoluta indulgentia, quæ olim iracundiam Dei accendit contra Heli (I Reg. II, III, IV), indefessa cura parentes commoneant eorum propria officia esse ac munera :

1. Pueros non solum verbo sed præsertim exemplo docere ea quæ referuntur ad Deum creatorem et redemptorem, Dominum, benefactorem, judicem et finem ultimum, ut illum venerentur et ament, Ei serviant, Illum semper et ubique præsentem timeant et ad Eum anhelent ;

2. Curare ut catechismum fideliter attendant et scholas catholicas assidue frequentent, etiamsi pecuniam pro facultatibus ad hoc erogare debeant ;

3. Eos semper vigilanti [illegible]lo, quod sæpius misere negligitur, sequi ;

4. Eos a defectibus et vitiis efficaciter arcere et non tantum verbis sed etiam et præsertim exemplis ad christianas civilesque virtutes promovere.

Meminerint præcones verbi divini et confessarii, ut infrænatæ libertatis sensibus pro viribus obstent, sibi

præsertim insistendum esse in jus et officium parentum ad exigendam a pueris strictam obedientiam in omnibus quæ legi Dei et Ecclesiæ non adversantur.

DECRETUM XVII.

De puellarum in religiosis domibus educatione.

Puellas, vel optimæ indolis, sæpe sæpius videre est sensuum oblectamentis mundique illecebris eo magis abduci, quo plus a labore et studio sibi propriis abhorrent. Quod vero pejus, hæc puerilium animarum proclivitas, periculi plena, a non paucis christianis parentibus fovetur, augeturque, quum malesuadus natorum amor et indulgentia ea puellis largitur, quæ potius sana ratio atque adeo christiana prudentia denegari juberet.

Ut autem religiosarum mulierum, quibus earum educatio demandatur, auctoritas magis magisque confortetur contra tanta incommoda, sequentes normas ubique servari exoptamus.

1. In puellarum institutione partes primæ tribuantur catechismo, et prout temporum conditio exigit, ampliori etiam in religione et sacra historia institutioni. Religio enim fundamentum esse debet christianæ educationis.

2. In Gynæceis publicisque scholis, puellarum mentes animique imbuantur christiana modestia et simplicitatis amore, necnon eorum omnium contemptu, quæ improvidam vesanamque muliebris vanitatis et luxus, ostentationem, vel a longe, sapiant ; sancte servetur gravissima Apostoli admonitio : “ mulieres in habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona ”

(I Tim. II. 9.....). Hæc igitur opera bona, fuit ornatus præcipuus qui solus placet coram oculis Dei, illa autem profana summopere virgines christianas dedecent, quæ, dum puellarum corda ad luxum assuescunt, parentum fortunam aliquando in discrimen dejiciunt.

3. In musica vero tradenda exoptamus ut classicum musices genus, vel unice, quoad ejus fieri potest, exerceatur, eo fine ut leve illud et [illegible]anticum a religiosæ educationis domibus amandetur, quod nihil aliud efficere valet, nisi veri et pulchri notionem pervertere, cordaque enervare. Commendamus autem imprimis, ut ille canendi modus, qui in theatris adhiberi solet, vitetur. Est enim profanus omnino et a religiosa docendi institutione prorsus alienus.

DECRETUM XVIII.

De surdo-mutis.

Cum inter gregis Christi oves illæ quæ majore laborant infirmitate, peculiari caritate sint prosequendæ, enixe animarum pastores deprecamur ut surdo-mutos in suis parochiis existentes ad aliquam ex catholicis institutionibus in eorum gratia erectis, si quo modo possibile est, mitti curent, et ut pecuniam ad sumptus necessarios, parentes pro suis facultatibus erogent, adhortentur.

Parochi autem semper tantum facere tenentur quantum possunt ut infelices illi surdo-muti ad sacramenta recipienda in quantum possibile est, præparentur.

Selectissimas Domini benedictiones super illas institutiones in surdo-mutorum gratia erectas vel erigendas, ex animo deposcimus.

DECRETUM XIX.

De nonnullis fidei periculis vitandis.

Ad omne subversionis periculum avertendum, hortamur catholicos laicos, qui communicare debent pro vita civili cum hæreticis toleratis, cum acatholicis de rebus ad religionem pertinentibus temere non agere.

Cavendum ne ex familiari hæreticorum consuetudine, aliquid capiant detrimenti spiritualis, nec ii qui heterodoxis famulantur, precibus acatholicis a suis heris aut aliis recitari solitis assistant, aut alia in re fidei detrimentum patiantur. Nisi igitur famuli prædicti jus retineant liberè religionem catholicam exercendi et omnia peragendi quæ a sancta Ecclesia præscribuntur, servitium dimittant, quod sine periculo aut conscientiæ læsione retinere non possunt.

Omnino prohibentur catholici assistere baptismo, matrimonio, cœnæ, cæterisque ritibus aut concionibus hæreticis, eo modo quo cum acatholicis convenire videntur, hoc enim agere nihil aliud est quam in sacris communicare. Quando acatholicorum exequiis assistunt, templa non ingrediantur, nec ritibus religiosis adsint sive domi, sive in cœmeterio.

Præterea hæreticorum libros de religione tractantes legere aut apud se retinere non licet.

Sciant insuper fideles excommunicationem latæ sententiæ, speciali modo Romano Pontifici reservatam, incurri ab omnibus et singulis scienter legentibus sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros Apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, eosdemque libros retinentibus, imprimentibus et quomodolibet defendentibus (Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis.*).

DECRETUM XX.

De examine novorum librorum.

Nemo præsumat libros aut libellos aut folia aut imagines ad fidem vel pietatem spectantes typis mandare, nisi Episcopus post diligens examen licentiam scripto dederit, quæ semper vel in fronte, vel in calce libri vel folii consignabitur.

DECRETUM XXI.

De jejuniis et abstinentia.

"Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis": hæc sunt verba Domini Salvatoris qui ipse fecit et postea docuit, unde jejunavit et abstinuit ipse quadraginta diebus in deserto, nobis relinquens exemplum. Omnes vel tyrones vitæ christianæ norunt illud Pauli Apostoli effatum: "Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis" (Gal. V. 24.) Ecclesia Christi hæc vitæ reparatæ principia attendens, leges quasdam saluberrimas sancivit quibus jejunium et abstinentia certis diebus præscribuntur. Hæc duo præcepta, quæ in prioribus Ecclesiæ temporibus non separabantur, repeti debent ab ipsis Apostolis, renovataque fuerunt in variis SS. Pontificum constitutionibus; et quum aliunde respiciunt materiam gravem quæ multum ad salutem animarum conducit, ullo absque dubio sub gravi fidelium conscientiam obstringunt.

Nunc autem refrigescente charitate multorum et crescente eorum numero quorum Deus venter est, quot sunt Christiani qui toti in hoc incumbunt ut Ecclesiæ præcepta de jejuniis et abstinentia vitent? Oblivioni mittunt

illa monita ; " Regnum Dei vim patitur et violenti rapiunt illud " (Mat. XI. 12.) Non audiunt Paulum dicentem : " Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar " (I. Cor. IX. 27.). Unde fit ut spiritus sapientiæ paulatim in dies in multis fidelibus videatur deficere, unde crescunt superbia, concupiscentia carnis et omnia vitia. Multis hodie fere nunquam desunt motiva, sæpissime vana omnino et futilia ad excusandas excusationes in peccatis ut a jejunio et etiam abstinentia declinent. Multi enim sunt parentes, ex divitibus præsertim, qui, nocenti levitate ducti et sibi frivolas et aliquando falsas causas fingentes, omnes Christifideles usum rationis adeptos abstinentiæ præcepto adstringi obliviscuntur, et pueros juvenesque, quamdiu ætatem ad jejunium ab Ecclesia determinatam non attigerunt, sua propria auctoritate abstinentia excusant. Alii sunt, opibus etiam inter valentes, qui sub prætextu debilitatis sese jejunio impares reputant, et quum hac de re catholicos medicos, pios et doctos, propriumque confessarium, consulere deberent, e contra, quid ipsis in casu sit agendum, a protestantibus medicis inquirunt.

Huic malo gravissimo obstent pastores ; necessitatem pœnitentiæ præsertim per jejunia et abstinentias ab Ecclesia præscripta, opportune et importune prædicent, inobedientes increpando et adjuvando revocent in viam pœnitentiæ quam monstrat crux salutaris. Certissime constat temperamenta, etiam huic provinciæ specialia et a Pastoribus apprime cognoscenda, fuisse ab Ecclesia, pia Matre, filiis suis concessa infirmis. Leges ipsas cum temperamentis populo christiano explicabunt parochi. Fideles omnes de obligatione inquirendi a confessario et

pastoribus utrum lex in tali vel tali casu obliget, monebunt.

Fideles tandem hortabuntur ut, quum lex pœnitentiæ omnes statuto tempore indiscriminatim afficiat, illi quos sufficientes causæ a jejunii lege eximunt, ii præsertim inter divites et molestis laboribus solutos numerantur, spiritualibus pœnitentiis et mortificationibus, ferventioribus precibus, frequentioribus eleemosynis necnon strictiori temperantiæ observantia, jejunii et abstinentiæ lacunas, quantum fieri poterit, supplere curent.

Ita caute adducent greges fidelium a laqueis inobedientiæ, a conscientiæ perplexæ et erroneæ insidiis; et curabunt, quantum in se est, ut populus christianus magis ac magis Christo crucifixo sit conformis, et a spiritu mundi nequam alienus. Ad hoc autem, ut verba, hortationes et increpationes pastorum efficaciter revocent a via lata perditionis in viam arctam quæ ducit ad vitam, exempla eorumdem pastorum præcedant, quasi jugis prædicatio eorum qui Divini Prædicatoris instar, incœperint facere et postea docere.

DECRETUM XXII.

De peccatis contra charitatem et justitiam in litibus.

Certum est, e pluribus Sacræ Scripturæ verbis, charitatem, cujus Christus fuit exemplar et magister, non eos tantum qui naturali quadam amicitia nobis devinciuntur sed ipsos inimicos amplecti debere.

Quapropter hortamur parochos in Domino ut, magna diligentia, lites quarum effectus est extinguere caritatem quam frequentissime amice componi satagant inter fideles. Omni pariter zelo studeant ut graves injustitiæ

quæ ex hisce litibus oriuntur, quantum fieri potest, impediantur.

Sed quum id efficaciter præstare non possint nisi et ipsi facere cœperint, eos vehementer deprecamur ad decus ecclesiastici ordinis et fidelium ædificationem, ne unquam nisi absolutæ necessitatis casu, ipsi apud civile tribunal causam agant.

Tribunalia publica, negotii aut litis causa, sacerdotes temere ne adeant. Ubi cum homine etiam sæculari et de re mere temporali difficultas oritur, ne quemquam in jus vocent, aut vocati sponte se sistant, nisi lites et disputationes sine judicum auxilio componi nequeant. Quod si agatur de contractibus, debitis, hæreditatibus, testamentis, publicis instrumentis aut aliis hujusmodi, in quibus sententia judicis sæcularis est vi legis politicæ necessaria ad efficacem causæ determinationem, si quæ ratio inveniri potest quæstionem pacifice componendi, ea adhibeatur ut recursus ad tribunal civile necessarius non evadat. Et " cum grave, ait Concilium Plenarium Baltimorense, fidelibus oriatur scandalum et ecclesiastico ordini dedecus, dum causæ ecclesiasticæ ad civilia deducuntur tribunalia, hortamur omnes, quorum interest, ut controversias forte orituras de rebus vel personis ecclesiasticis, amice componant, vel saltem judicio Episcopi submittant. Quoad recursum in hujusmodi causis ad forum seculare, omnes etiam meminerint excommunicationis speciali modo romano Pontifici reservatæ iis in casibus qui a S. M. Pio IX. in constitutione quæ incipit " Apostolicæ Sedis " designantur. (a)

(a) Circa hanc materiam videri potest collectiva epistola hujusce Provinciæ Episcoporum, 14 nov. 1875.

DECRETUM XXIII.

Contra injustitias in cessione bonorum.

Pastores, præcones et confessarii moneant eos qui bonis cedunt ipsos beneficio legis civilis frui in conscientia non posse, nisi ad normas justitiæ et honestissime cessionem fecerint et legis dispositiones ad unguem adimpleverint.

DECRETUM XXIV.

De periculis morum.

Quoniam experientia nunquam satis lugenda constat quam multis hodie blandimentis irretire fideles præsertim juniores et quidem utriusque sexus, tentet inimicus, hæc Synodus opportunum duxit quædam statuere, ut mores, ubi sunt illibati, facilius serventur, ut efficacius corrigantur, ubi corrupti.

1. Invehant concionatores, ubi fuerit opus, contra choreas lascivas quas *valses, polka*, aut vivas saltationes vulgo vocant, in nostra enim regione, præsertim in parochiis ruralibus, hujusmodi prædicatio principiis mali obstabit, ejusdemque mali contra castitatem et modestiam impediet progressus. Constat porro choreas istas maxime periculosas esse, nec potest negari easdem esse instrumenta ad luxuriæ peccata. Unde quam maxime curent pastores et confessarii omnes, ut fideles ab istiusmodi ludis, utpote per se immodestis et periculosis, retrahant.

2. Nec minus, imo majus periculum bonis moribus offerunt illa colloquia amatoria præsertim secreta, diurna aut nocturna, quæ habentur inter duos utriusque sexus juvenes, clanculum parentes ; item perambulationes eorumdem juvenum utriusque sexus, parentibus non præsentibus. Contra istas per se proximas peccati luxuriæ

occasiones, contra istam diabolicam pestem qua castitas, modestia, timor peccati pessumdantur, invehant concionatores et præsertim in sacro tribunali pœnitentiæ, applicentur remedia quibus omnino et penitus destruatur et pereat a cœtu Christi fidelium illud malum immane. Sciant etiam parentes se peccare, si filiis et filiabus sub ipsorum potestate constitutis non occludant omnia, quantum possunt, media omnesque occasiones pessimis illis colloquiis et perambulationibus vacandi.

3. Insuper intelligentes maximi esse momenti sanctiones et hortationes V. Concilii Provincialis relate ad temperantiæ virtutem per abstinentiam a potionibus inebriantibus exercendam et fovendam, ejusdem Synodi sanctiones et hortationes renovamus, monentes animarum pastores ut flagranti zelo vitium intemperantiæ et peccata ebrietatis insectentur. Dies enim mali sunt, vitia ista in multis grassantur: et utinam concionatores et pastores multi inveniantur qui contra monstra intemperantiæ et ebrietatis insurgentes, populos doceant regnum Dei non esse in comessationibus et ebrietatibus, sed iis tantum esse promissum qui sobrie, juste et pie vixerint in hoc sæculo. Hæc mandant Patres sperantes per gratiam Dei fore ut in posterum tot futuri sint, occasione data, contra intemperantiam et ebrietates apostoli, quot erunt in parochiis et missionibus sacerdotes in vinea Domini laborantes.

4. Ne fieri mala contingat, ut eveniant bona, prohibemus ne suscipiantur ad pios fines quædam media, ex quibus facile oritur peccatorum occasio, v. g. concentus musicales, excursiones, venditio rerum sponte oblatarum, etc. etc., nisi prius obtenta Episcopi licentia acceptisque salutaribus ipsius monitis.

DECRETUM XXV.

De procurantibus abortum.

Satagant sacerdotes quibus animarum cura incumbit, ut quantum possunt eliminent peccatum illud gravissimum quo directe, sive per se sive per interpositas personas abortus procuratur quibuscumque modis id fiat, ac nominatim impediant illam hujus sceleris rationem qua chirurgicis instrumentis infans in utero necatur.

In mentem omnium revocamus pœnas quæ in procurantes abortum latæ sunt. SS. enim D. N. Pius IX, in Constitutione *Apostolicæ Sedis moderationi*, anno 1869, excommunicationi *latæ sententiæ* Episcopis sive Ordinariis reservatæ, subjacere declaravit " Procurantes abortum, effectu sequuto."

DECRETUM XXVI.

De publicatione Decretorum hujus Synodi Provincialis.

Omnia et singula quæ a Nobis in hac Sexta Provinciali Synodo decreta actaque sunt, qua debemus obedientia ac reverentia, auctoritati ac judicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matris ac magistræ, revisenda et recognoscenda subjicimus.

Quapropter istius Synodi decreta nemo prælo subjiciat aut promulget, antequam a Sancta Sede Apostolica, juxta Constitutionem Sixti V, quæ incipit: *Immensa*, revisa et recognita fuerint. Litteris autem quibus illa firmentur a Sanctitate Sua obtentis, ea statim imprimantur, impressaque, a singulis Episcopis hujusce Provinciæ, vel in Synodo diœcesana, vel si celebrari nequeat, extra Synodum, quam primum promulgentur.

DECRETUM XXVII.

De indictione futuri Concilii Provincialis.

Cum Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decretis statutum sit, ut quolibet saltem triennio celebrentur Concilia Provincialia, ut Ecclesiæ menti obsequamur, Nos, ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU, Archiepiscopus Quebecensis, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum comprovincialium, proximum Concilium hujus Provinciæ anno millesimo octingentesimo octogesimo primo celebrandum jam denuntiamus et indicimus omnibus qui præsentes adesse debent (a).

DECRETUM XXVIII.

De fine Concilii.

Cum placuerit omnibus Patribus hujus Concilii finem fieri, Nos, ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU, Archiepiscopus Quebecensis, Provinciali Concilio finem facimus, et jam nunc factum esse, decernimus.

DECRETUM XXIX.

De subscriptione.

Nos, ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU, Archiepiscopus Quebecensis, admonemus Reverendissimos Patres omnes, qui huic Synodo jure intersunt et interfuerunt, ut post nos, singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et eis quæ in hac Synodo decreta sunt subscribant.

(a) Juxta Rescriptum 21 novembris 1880, datum ad instantiam Archiepiscopi et Suffraganeorum, proximum concilium celebrabitur anno 1884.

✠ Ego E.-A., Archpus Quebecensis, definiens subscripsi.

✠ Ego L.-F., Epus Trifluvianus, definiens subscripsi.

✠ Ego Joannes, Epus Sti Germani *de Rimouski*, definiens subscripsi.

✠ Ego E.-C., Epus Marianopolitanus, definiens subscripsi.

✠ Ego Antonius, Epus Sherbrookensis, definiens subscripsi.

✠ Ego J.-T., Epus Ottawiensis, definiens subscripsi.

✠ Ego L.-Z., Epus Sti Hyacinthi, definiens subscripsi.

B

" s
" p
" v

ces
ap
ren
" t
" c
" v
" p
" p
" s
" t
" n
" n

Co

PARS TERTIA.

APPENDICES.

EPISTOLA PATRUM AD SUMMUM PONTIFICEM.

SSmo Domino Nostro Leoni PP. XIII.

BEATISSIME PATER,

" Petrus in Ecclesia Christi semper vivit ; Petrus in " Sancta Sede Romana semper sedet ; Petrus in singu- " lis successoribus loquitur, ut in omnem terram exeat " vox ejus et in fines orbis terræ verba ejus."

Ita in Concilio Quarto Quebecensi nos ipsi, vel prædecessores nostri, loquebamur, ex toto corde credentes et aperte profitentes cum Sancto œcumenico Concilio Florentino : " Romanum Pontificem in universum orbem " tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum suc- " cessorem esse beati Petri, Apostolorum Principis, et " verum Christi Vicarium et omnium christianorum " patrem ac doctorem existere ; et ipsi in beato Petro " pascendi, regendi ac gubernandi universalem Eccle- " siam, a Domino Nostro Jesu Christo plenam potesta- " tem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcu- " menicorum Conciliorum et in sacris canonibus conti- " netur."

Hanc eamdem vocem ex intimo corde proferentes, in Concilio Quebecensi Sexto coadunati, Paternitatem Ves-

tram adimus et amantissimi Pontificis Pii IX divinitus suscitato successori, filialis nostræ pietatis et omnimodi obsequii testimonium exhibemus.

Acerbissimo quidem mœrore oppressi fuimus de morte illius quem tamdiu Ecclesiæ suæ pastorem Christus servaverat ut quasi immortalem haberemus; attamen non contristati sumus sicut et ceteri qui spem non habent, scientes illi qui sicut bonus miles Christi tam constanter laboravit, tam forte certamen certavit, tam invicto animo fidem servavit et tam gloriose, terrena non metuens, cursum consummavit, repositam esse coronam justitiæ quam reddet illi Dominus in illa die justus judex.

Ad hæc addidit Christus maximum consolationis et spei motivum, quando immensa ejus pietas, nolens nos orphanos relinquere, suscitavit sibi sacerdotem illum fidelem, juxta cor suum et animam suam, cui nomen Leo XIII. Ædificet illi Dominus domum fidelem, conservet eum, vivificet eum; beatum faciat in terra et non tradat eum in animam inimicorum ejus!

Debita cum reverentia et exultatione epistolam encyclicam accepimus, quam die solemni Paschæ edidit Sanctitas Vestra ad omnes totius orbis præsules.

Quas condemnationes et protestationes confirmavit et iteravit, eas quoque pronuntiamus, idem sapientes et loquentes.

Sedulam impendemus curam ut cœlestium doctrinarum semen per dominicum agrum diffundatur et catholicæ fidei documenta fidelium animis mature inserantur, altas in eis radices agant et ab errorum contagione incorrupta serventur.

Fremuerunt quidem gentes, populi meditati sunt inania, astiterunt reges terræ et principes convenerunt in

unum adversus Dominum et adversus Christum ejus; undique procellæ et ruinæ; nec est ulla lex divina aut humana, quæ vim non sit passa; desolatione desolata est terra quia non est qui recogitet corde.

Liceat nobis, filiis obsequentissimis, verba Domini Josue, filium Nun, alloquentis usurpare: "Moyses "meus servus mortuus est; surge et transi Jordanem "istum tu et omnis populus tecum... ero tecum, non di-"mittam nec derelinquam te... confortare et esto robus-"tus valde. Noli metuere et noli timere, quoniam te-"cum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcum-"que perrexeris."

Portæ inferi non prævalebunt.... Inimicos crucis Christi irridebit et subsannabit Dominus qui habitat in cœlis.

Tot diversis luctus et consolationis, timoris ac spei motibus, quasi ferventis maris fluctibus, abrepti, ad Vestram Beatitudinem oculos convertimus, o Summe Pontifex, quem constituit Christus sibi Vicarium, Ecclesiæ indefectibile fundamentum et supremum Pastorem, ovibus patrem et infallibilem doctorem, catholicae unitati immobile centrum, corpori suo mystico visibile caput. Licet vastissimo terræ marisque spatio sejuncti, cor unum tamen et animam unam habemus.

Quam quidem cum Romana et Apostolica Sede omni tempore tenuimus unitatem, eam semper vivam imo et de die in diem arctiorem esse volumus; et propterea hodie nostri Concilii Quebecensis Sexti Acta et Decreta, quantulacumque sint, ad pedes Sanctitatis Vestræ revisenda et recognoscenda juxta sacros canones deponimus. Si quid in eis nimis asperum sit aut minus rectum, corrigatur; si quid supra vires nostras, Apostolica manu

confirmetur et ita semper, ubique et in omnibus, indissolubilis persistat illa unitas quæ tamen locorum et temporum diversas necessitates non ignoret.

" Tu enim, aiebat Sanctus Bernardus Eugenium Pa-
" pam alloquens, tu princeps Episcoporum, tu hæres
" Apostolorum..... dignitate Aaron..... potestate Petrus,
" unctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves
" creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores et
" gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et
" differentius præ ceteris nomen hereditasti. Habent
" illi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi
" crediti: nec modo ovium, sed et pastorum omnium, tu
" unus Pastor."

Paternitatis Vestræ pedes exosculamur et super nos, necnon super utrumque hujusce provinciæ clerum, et super omnes oves nobis commissas Apostolicam imploramus benedictionem.

Quebeci, die 18 Maii 1878.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi et obsequentissimi Filii

✠ E.-A., Archiepiscopus Quebecensis.
✠ L.-F., Episcopus Trifluvianus.
✠ Joannes, Episc. Sti Germani *de Rimouski.*
✠ E.-C., Episc. Marianopolitanus.
✠ Antonius, Episc. Sherbrookensis.
✠ J.-T., Episc. Ottawiensis.
✠ L.-Z., Episc. Sti Hyacinthi.

DECRETUM

APPROBATIONIS CONCILII SEXTI QUEBECENSIS.

ILLME AC RME DOMINE,

In generalibus comitiis habitis die 29 mensis augusti currentis anni, revocata sunt ad examen acta Synodi sextæ istius provinciæ.

Jamvero ad proposita dubia 1° se e con quali modificazioni meriti di essere riconosciuto il VI Sinodo provinciale di Quebec. 2° Come in particolare debba dispondersi alla domanda dell' Arcivescovo se il Decreto Tridentino circa la professione di fede obblighi anche i curati amovibili ad nutum ?

Emi ac Rmi Patres respondendum " censuerunt, ad Ium affirmative, inductis tamen nonnullis modificationibus quæ in adjecto folio inveniuntur." Ad alterum dubium " quoad præteritum supplicandum SSmo pro sanatione, quoad futurum provisum in Cap. V ipsius synodi."

Cum vero in actis Synodi occurrant menda aliqua grammaticalia ac expressiones minus propriæ, has emendatas Ampl. Tua inveniet in exemplari typis impresso, quod Tibi transmitto.

Interim precor Deum ut Te diutissime sospitet.

Romæ ex æd. S. C. de Pnda Fide die 16 decembris 1881.

A. T.

Uti frater addictissimus.

(*Signat.*) JOANNES CARD. SIMEONI, Præf.

(Subsign.) I. MASOTTI,
Secrius.

R. P. D. Elzearo Taschereau,
Archiepiscopo Quebecensi.

EPISTOLA PATRUM ET THEOLOGORUM PRO INTRODUCTIONE CAUSÆ BEATIFICATIONIS ET CANONISATIONIS S. M. PII PP. IX.

Beatissime Pater,

Deus qui semper invigilat ad tutandam Ecclesiam, quam in petrâ fundavit, contrà nefarios inimicorum incursus, ità ut adversùs eam portæ inferi nunquam possint prævalere, nuperrimè suo gregi dedit Pastorem secundum cor suum et animam suam, cui inaudita privilegia concessit. Singulari enim Dei providentia, primus fuit, imo et solus qui annos Petri in Romana Sede non solum attigit sed et superavit. Neminem latet illi concessum fuisse declarare Beatissimam Virginem ab omni labe in suâ conceptione prorsùs immunem evasisse, et infallibile Romani Pontificis magisterium objiciendi tùm inobedientiæ quùm elationi quæ, luctuosissimis hisce diebus, ubique serpere vel grassari videntur. Quot et quantæ fuerint virtutes quæ maximo splendore in eo eluxerunt, nullus est qui possit ignorare. Omnes certè mirati sumus ejus patientiam in contradictionibus, mansuetudinem ergà inimicos, in adversis fortitudinem, et zelum ad salvandas animas pro quibus Christus mortuus est. Bonus enim fuit pastor qui, Christi vestigia premens, libertatem pro grege spontè dimisit, æternaque veritatis et justitiæ principia, vel in carcere, palàm omnibus annuntiavit. Sed imprimis altissimos habuit fidei sensus, et non solùm fidem à Deo revelatam integerrimè sibi servavit, sed et ad illam propagandam et ad extirpandos hæreticorum et pessimorum nostri temporis hominum errores tanto studio incubuit, ut vix inveniri posset alius Pontifex qu. majores pro Ecclesiâ Dei pertulerit labores, aut qui

pro veritate acriùs pugnaverit. Vix credibile est quantùm desudaverit in defendendis contrà formidolosos hostes Ecclesiæ juribus. Sanè redemit votum quod fecerat cùm ad eminentissimam Petri Sedem evectus fuit, potiùs mori quàm universæ Ecclesiæ sibi commissæ jura indefensa relinquere. Inter innumeras persecutiones et molestias firmam semper in Deo spem habuit, nec à repetitis hostium impetibus se frangi permisit. In omnibus rerum adjunctis sustentabatur à fervidissimâ charitate quam pro Christo conceperat, ità ut, cum Apostolo, præcipuè gloriaretur in cruce Domini et gaudio exultaret quotiescumque ei datum erat multa pro nomine Jesu pati. Quid plura ? Omnes virtutes tanto splendore in eo coruscabant ut vel inimicis admirationi esset, et in mentibus omnium obtinuerit opinio Pium IX summam attigisse perfectionem. Et certè nullus est qui dubitet illum ingressum fuisse regnum electis præparatum, et mercedem accepisse à Domino qui, testante Paulo, dat coronam gloriæ ei qui bonum certamen certavit, et cùm adeò gratiosus sit Dominus ut supra multa constituat servum qui, in hâc labili vitâ, super pauca fuit fidelis, quis dubitare poterit utrùm dederit magnificam gloriæ coronam servo suo et summo Pontifici Pio IX qui tanta ac tam multa fecit pro majore Dei et Beatissimæ Virginis gloria, et animarum sibi commissarum salute ?

Quæ cum ita sint, ad pedes Sanctitatis Vestræ provoluti, omnes quotquot sumus hujus provinciæ Episcopi cum Illustrissimo ac Eminentissimo Archiepiscopo Quebecensi in Concilium adunati, enixè rogamus ut Beatitudo Vestra quæstionem de Beatificatione et Canonizatione Pii IX velit introducere, ut cultus ei tribuatur in terris qui respondeat honori quo jam, ut credimus, gau-

det in cœlis. Hoc gratissimum erit nobis omnibus hujus Provinciæ episcopis, necnon omni clero, sed et universo populo Canadensi qui ardentissimo amore erga Pium IX, dum viveret, semper flagravit. Hoc insuper erit ad gloriam non solum Dei, qui mirabilis est in sanctis suis, sed et Sedis Apostolicæ cui vinculo maximæ charitatis unimur et filialem obedientiam in omnibus profitemur.

Quebeci, die 24 maii 1878.

Sanctitatis Vestræ,

Humillimi et addictissimi filii in Christo

✠ E.-A., Archpus Quebecen.
✠ L.-F., Epus Trifluvianus.
✠ Joannes, Epus Sti Germani *de Rimouski.*
✠ Eduardus-Car., Epus Marianopolitanus.
✠ Antonius, Epus Sherbrookensis.
✠ J.-Thomas, Epus Ottawiensis.
✠ L.-Z., Epus Sti Hyacinthi.

Godefridus Lamarche, pter Canonicus.

J.-S. Raymond, prælatus domesticus S. S., Superior Seminarii Sti Hyacithi.

Edmundus Langevin, Præp. Cap. Cathed. Sti Germani.

C.-F. Cazeau, V. G., Prælatus Dom. S. S. Promotor.

Thos.-Steph. Hamel, pter, V. G., Rector Univ. Laval., et Superior Seminarii Quebecen.

D. Racine, pter, V. G.

Carolus-Olivarius Caron, pter, V. G. Trifluv.

Thomas Caron, pter, V. G. Trifluv.

J.-B. Larue, pter S. Sulpitii Marianop.

M.-E. Méthot, pter, Decan. Facult. Art. U. L.

J.-Eug. Antoine, Provincialis Oblatorum M. I.

Franciscus-J. Michel, pter.

A. O'Donnell, pter, Can. Parochus S. Dionysii.

J.-R. Ouellette, pter, Canonicus S. Hyacinthi.

P.-J. Saucier, pter, Vic. For. Parochus N. D. *de la Grande Rivière.*

Cyrillus-S. Legaré, pter, Dir. S. Q.

Petrus-Eucherius Lussier, Canonicus, Cancellarius Episcopalis Marianop. Diœcesis.

Desiderius Vézina, Canonicus Parochus N. D. ad Nives.

A.-A. Blais, pter, J. C. D., Prof. juris Canonici apud Seminarium Quebecen.

Georgius-R. Fraser, pter Sem. Quebecen.

C.-Ill. Collet, pter, Secrius Archidiœcesis Quebecensis.

C.-A. Marois, pter, Subsecrius Arch. Quebecen.

EPISTOLA PATRUM AD MODERATORES ET PROFESSORES SEMINARII QUEBECENSIS ET LAVALLENSIS UNIVERSITATIS, IN LAUDEM DD. FRANCISCI DE LAVAL, PRIMI QUEBECENSIS EPISCOPI ET SEMINARII EJUSDEM FUNDATORIS.

Clarissimis Dominis Moderatoribus et Professoribus Seminarii Quebecensis et Lavallensis Universitatis.

Clarissimi Domini,

Litteris datis die 15 mensis currentis Nobis intimatis quanto gaudio exultaretis si suprema Romani Pontificis auctoritate recognosceretur heroicis virtutibus præditum fuisse magnum Dei servum et Pontificem Franciscum de Laval, et petitis ut obtineamus a SSmo propitium decre-

tum. Nec minus quidem ardenter desideramus ut Sancti præsulis venerandæ cineres super altaria ponantur.

Heri, consentire in associando illius mortales reliquias, una cum omnibus hujus civitatis clientibus, et debitum testimonium memoriæ primi Episcopi Quebecensis veri omnium episcopalium virtutum exemplaris proferre, quam dulce cordibus nostris videbatur! Etenim, Clarissimi Domini, dum amplissimo fundatoris Seminarii vestri titulo colendissimum de Laval afficitis, Nos vicissim in Illo patrem hujus Americæ partis episcopatus exultanter agnoscimus.

Nobis intime persuasum est non sine speciali Providentiæ divinæ nutu sic denuo pretiosas Illius reliquias splendentem inter congressum fulsisse, postquam septuaginta et centum annis in insigni Basilica requieverant. Certe honore extollere, et fiducia, qua Canadensis populus ac præsertim clerus religiosæque communitates tam juste et constanter ejus gratiam in cœlis prosecuti sunt, fidelem et prudentem servum cumulare vult Deus.

Quæ vero hodie in elogio S. Gregorii VII., cujus officium celebramus, sentit Ecclesia, dicens: "*Pontifex electus, sicut sol effulsit in domo Dei,*" nonne hæc verba accommodare illustri nostro Antistiti possumus, ab Alto ut Apostolo Canadæ electo? In ortu suo splenduit, (Judith. V. 31.) et in domo Dei "*potens in opere et sermone*" factus est; in stabilienda ecclesiastica disciplina addictus, vitam in propagatione veræ fidei conterens, in Ecclesiæ libertate tuenda intentus, in erroribus eripiendis omnibus inclinatus, ad puritatem morum conservandam in hac Nova Francia, cujus in spiritualibus regimen partitus erat, incumbens, in animo servavit admirabilem constantiam, fides cinctorium renum ejus fuit, (Is. XI.

5.) induit se humilitatem (Col. III. 12.) semetipsum abnegavit (Mat. XVI. 24.) et in doloribus tolerandis invicta patientia et studio præstabat.

Ferventibus precibus igitur vobiscum conspirabimus ut Sanctæ Sedis veniam brevi obtineamus Illum palam invocandi ; et, ut primum diœcesana auctoritas preliminarium confecerit processum, actuose supplici libello ad Sanctissimum dirigendum nomina nostra subscribemus, ut dignetur Leo XIII causæ beatificationis Illustris Dei servi Francisci de Laval introducendæ annuere, et hoc modo Pastoribus et Fidelibus Canadæ potentem patronum asseverare.

In SS. Jesu et Mariæ cordibus remanemus,

Clarissimi Domini,

humillimi et devotissimi servi

✠ E.-A., Archpus Quebecen.

✠ L.-F., Epus Trifluvianus.

✠ JOANNES, Epus Sti Germani *de Rimouski.*

✠ EDUARDUS-CAR., Epus Marianopolitanus.

✠ ANTONIUS, Epus Sherbrookensis.

✠ J.-THOMAS, Epus Ottawiensis.

✠ L.-Z., Epus Sti Hyacinthi.

INDEX ET ORDO RERUM

VI CONCILII QUEBECENSIS.

DECRETA :

APPENDIX.